Polen. 1290.

VOX TVBÆ
ANGELI LVCIS
AD

Revocandum è Calvinianis tenebris ad regionem Catholicæ veritatis P.F.Fœlicem Emanuelem, cui nomen in sæculo DD.Emanuel de Portugal.

Auctore P. F. HILARIO *à S. Augustino Carmelit. Discalc. per Belgium & Burgundiam Vicario Provinciali & Conventus Bruxellensis Priore.*

Verba Sapientium, sicùt stimuli, & quasi clavi in altum defixi, quæ per Magistrorum consilium data sunt à Pastore uno. His ampliùs, Fili mi, ne requiras. *Eccles.* 12.

BRVXELLÆ,
Typis Huberti Anthonii *Velpii*, Typog. Reg. sub Aquilâ aureâ juxtà palatium 1635.

Bayerische
Staatsbibliothek
München

EXCELLENTISSIMO

ET

ILLVSTRISSIMO

DOMINO

D. EMANVELI

DE

PORTVGAL.

O N miror, Excellentissime Princeps, *quod te in mœrore & squalore jacentem cerno; quod te flentem & nimium dolentem conspicio, ob lamentabilem & miserandum Primogeniti tui Emanuelis, recentem & inopinatum lapsum, quem omnes penè Orthodoxi*

meritò deplorant. Si enim Rex David ob mœstum Absalonis filii sui interitum, uberrimas profudit lacrymas; quis non videt haud minùs rationi consentaneum esse, pereuntis filii spiritualem mortem defiere, æternumq; lugere exitium? Optarem quidèm vehementer inusitato isti tuo dolori levamen aliquod adferre posse. Sed quid afflictus afflicto solatii præstare valet, qui eâdem animi ægritudine tabescens, ejusdem prorsùs medelæ subsidio indiget? nisi istud qualecumque calamitatis nostræ levamen vocemus, quod iisdem malis involuti, earumdem pœnarum socii simus effecti. Communis planè dolor & quidèm penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens usquè ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoquè ac medullarum. Utraquè siquidèm familia

uno

uno velut ictu gravissimè sauciata, & fœdissimâ labe fuit conspurcata. Augusta videlicèt Lusitaniæ Regum prosapia, quæ à tot sæculis Catholicam & Apostolicam Romanæ Ecclesiæ Religionem perpetuò intemeratam servavit; & Sacer B Virg. **Mariæ** *Montis Carmeli Ordo. Illa, inquàm, quæ ardentissimo Dei honoris amplificandi zelo, per tot regna & provincias, confractis impiorum Principum sceptris & turpissimis idolorum simulachris destructis, Orthodoxam Fidem longè, latèq; quaquâ patet Orbis terrarum propagavit, totq; animarum myriades jugo & imperio Christi æterni Regis subdidit: & nunc turpissimam hanc ignominiæ maculam cogitur sustinere. Quas lamentationes antè omnipotentis Dei thronum, si ità loqui fas, profundet Sanctissima Eliza-*

betha Lusitaniæ Regina, à quâ cognomen accepit Infœlix Emanuel, dùm sæculo nuntium remittens, sacrum Religionis habitum assumpsit? Quid verò loquar de glorioſæ & sanctæ memoriæ Serenissimâ Principe Isabellâ Clarâ Eugeniâ *Hispaniarum Infante; quæ ipsum, sacrum Carmeli nostri habitum recipientem, solemnis posteà professionis vota Deo nuncupantem, ac demùm primitias Sacerdotii celebrantem, inclytæ Majestatis suæ præsentiâ, cum summæ pietatis ac singularis benevolentiæ significatione mirificè decoravit? Quales insuper Sancta Carmeli nostri Discalceatorum Religio angustias, quos dolores, ut parturientis, persentiscit, conspiciens filium clarissimis natalibus, Regio videlicet sanguine illustrem hæreseos maculâ, quâ fœdior excogitari nequit,*

esse

esse contaminatum? Quomodò cecidisti, ô Infœlix Emanuel, qui manè oriebaris? Oriebaris, inquam, velùt stella matutina, dùm assiduus orationibus, divinis laudibus, omnigenæq; virtutum exercitationi fuisti intentus. Sed jàm, proh dolor! quomodò obscuratum est aurum, mutatus est color optimus puritatis vitæ, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum? Accommodatissimus, Excellentissime Princeps, *mihi communi nostro luctui exprimendo videtur Sancti Patriarchæ Iacob Iessus, dilectissimi Filii sui, quem è medio sublatum opinabatur, mortem deplorantis: heu fera pessima devoravit filium nostrum Emanuelem. Fera, inquam, pessima, & truculentissima, nempè hæresis, quæ eum exanimem reliquit. Si enim justus ex fide vivit,*

 ablatâ

ablatâ fide, nulla prorsùs est spes vitæ, vel salutis æternæ, nisi aliquandò resipiscat. Quod uti ardentissimè pro singulari nostrâ ergà ipsum charitate, ac benevolentiâ optamus: ità in hoc summoperè nobis incumbendum est, ut continuis precibus ac sacrificiis, id ipsum à Divinâ clementiâ impetremus. Hinc quoquè nobis saluberrimum suppetit consilium, quo commonemur, quàm adoranda, ac tremenda sint Dei judicia, quæ sunt, ut Propheta ait, abyssus multa. Nequè hic, quantumvis funestus, casus nos nimiùm perturbare debet, perindè atquè si numquàm simile quidpiàm contigisset: non enim erat infœlix noster Emanuel fortior Samsone, sapientior Salomone, vel Prophetâ Davide sanctior, qui labi non posset. Nihil aptiùs ad mœrorem nobis exi-

men-

mendum, animosq; nostros erigendos mihi dici posse videtur iis, quæ Sanctissimus Pater, & præclarum illud Ecclesiæ lumen D. Augustſcribit (epist. 137. ad Cler. Hypon.) *suadens nè scandalum paterentur, vel nimiùm mirarentur, aut turbarentur, ex infœlici quodam eiusmodi casu, qui in domo ipsius contigerat.* Quantumlibèt, *inquit*, vigilet disciplina domus meæ, homo sum, & inter homines vivo: nec mihi arrogare audeo, ut domus mea melior sit, quàm arca Noe, ubi tamèn inter octo homines reprobus unus inventus est: aut melior sit quàm domus Abrahæ, ubi dictum est, Ejice ancillam & Filium ejus: aut melior sit, quàm domus Isaac, cui de duobus geminis dictum est, Iacob dilexi, Esau autèm odio habui:

bui: aut melior sit, quàm domus ipsius Iacob, ubi lectũ Patris filius incestavit: aut melior sit, quàm domus ipsius David, cujus filius cum sorore concubuit, cujus alter filius contrà Patris tàm sanctam mansuetudinem rebellavit: aut melior, quàm cohabitatio Pauli Apostoli, qui tamèn, si inter omnes bonos habitaret, non diceret; Foris pugnæ, intus timores: aut melior, quàm cohabitatio ipsius Domini Christi, in quâ undecim boni, perfidum & furem Iudam toleraverunt: aut melior sit postremò, quàm Cælum, unde Angeli cecide-runt. *Possemus adjungere paradisum terrestrem, in quo ipsemet primus parens tàm miserabiliter cecidit. Tandem concludit Sanctus Doctor dicens:* Ex quo Deo servire cœpi, quomodo

dò difficilè ſum expertus meliores, quàm qui in monaſteriis profecerunt: ità non ſum expertus pejores, quàm qui in monaſteriis ceciderunt. *Excellentiſſime Domine, non potuit non incidiſſe in manus tuas libellus ille, quem operâ cuiuſdam malè feriati Miniſtri, evulgavit noſter Emanuel, totus conſutus ex omnibus penè hæreſeon rapſodijs, quibus impia Calviniſtarum ſecta, ab orthodoxâ Religione diſſidet. Mei muneris eſſe exiſtimavi, quæ author iſtius libelli, quiſquis is ſit, impijs dogmatibus ſtabiliendis undequaquè corraſit ſolidé convellere. Hanc verò meam opellam, nec potui, nec debui ſub alterius, quàm veſtræ Excellentiæ auſpicijs in lucem emittere. Non dubito paternæ tuæ & charitatis & pietatis viſcera vehementiſsimè commoveri, ob deplorandam prodigi iſtius filij ſortem*

qui

qui eximiam illam atque opulentam vitæ Religionis substantiam tàm turpiter decoxit. Quarè supervacaneum arbitror E. V. calcar addere, ut quod suâ sponte facit, assiduis orationibus divinam fatiget bonitatem, ut sicuti S. Monica Augustinum ex errorum, quibus immersus iacebat tenebris, ad veritatis lucem convertere valuit: ità hanc ovem perditam, & immani luporum sævitiæ datam in prædam ad Christi ovile reducere possis. Hæc est votorum meorum summa, & huius exigui mei laboris, quem solo Catholicæ veritatis propugnandæ zelo incensus, & propensissimæ meæ in miserrimum nostrum Emanuelem voluntatis affectu impulsus, me suscepisse profiteor.

E. V. Servus humillimus

F. HILARIVS à S. AVGVSTINO.

APPROBATIO.

RAtiones quas nuper Ministri Calviniani evulgârunt, sub nomine Emanuelis de Portugal, quibus fædam ejus apostasiam & Calvinianæ Hæresis ab eodem factam in Synagogâ Satanæ publicam professionem velare conati sunt sub nomine actitulo Catholicæ & Aposto icæ professionis puri Evangelii, solidè & eruditè in hoc tractatu confutantur:& calumniæ quibus Religiosum Ordinem Carmelitarum Excalceatorum totamquè Christi Ecclesiam affecerunt Ministri Satanæ, transfigurati velùt ministri justitiæ, penitùs absterguntur à Reverendo admodum Patre F. *Hilario à S. Augustino* Carmelit. Discalc. per Belgium Vicario Provinciali. Ideoquè judico eumdem tractatum magno fructu in lucem edi posse. Datum Lovanii, die 26. Octob. anno 1635.

GVILIELMVS AB ANGELIS
S. Th. Doctor & Professor Lovanii.

APPROBATIO.

PErutiliter Typis excudetur communi bono Reipublicæ & Ecclesiæ liber, cui titulus: *Vox tubæ Angeli lucis*, compositus à Reverendo admodum Patre F. *Hilario à S. Augustino* Priore Conventus Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Bruxellis, & Vice-provinciali. Constat enim stilo facili, bené

benè terſo, & nervoſo, abundatq́ue luce verbi Dei, non ſecundùm proprium ſpiritum, ſed ſeſecundùm ſenſum, quem dederunt Sancti Patres, receptum & probatum in Eccleſiâ Catholicâ & Apoſtolicâ, columnâ & firmamento veritatis, quæ cum internâ tranquillitate ſuavitateq́ue legentium ſe mentibus eorum infundens, manifeſtat evidenter impoſturam, quàm Author ſuſcepit declarandam, tamquàm effectum Angeli tenebrarum, transfigurati in Angelum lucis. Simùl etiàm convincit, quantùm abundé requirere poteſt Chriſtiana prudentia, P. F. Fœlicem Emanuelem imprudenter admodùm egiſſe, & malè ac impiè, dùm fidem inſtinctu Spiritus Sancti, plurimorum Sapientium benè exercitatorum in diſcernendis ſpiritibus, ſi ex Deo ſint, probato, ſpontaneè & omninò liberè in publico fidelium magnatumq́ue & Sereniſſimæ Hiſpaniarum Infantis *Iſabellæ*, datam Deo de ſequendis Domini noſtri Ieſu Chriſti conſiliis, paupertate, caſtitate & obedientiâ perpetuâ, in Ordine Fratrum Carmelitarum Diſcalceatorum, quantùm in ſe fuit, irritam fecit: & Sanctam ſuorum Confratrum Societatem, cùm eorumdem de intimo charitatis affectu mœſtitiâ magnâ deſeruit, adjungens ſe ſocietati novellorum, in quâ non invenitur, qui per vota ſpontanea & libera, in Scripturis Sanctis, & Patribus communi conſenſu totius Eccleſiæ verè Catholicæ & Apoſtolicæ totiuſq́ue temporis ejuſdem uſu ab initio uſquè nunc, probata miris modis & laudata,

inſiſtat

insistat servandis Christi consiliis. Vt eapropter Pater Frater Fœlix Emanuel, casu nimis infœlix, seriò se monitum attendere debeat, quatenùs pœnitentiam agat, reddatque vota Domino Deo suo, sitque lux iterùm in Domino, ut filius lucis ambulet: fructus enim lucis est in omni bonitate & justicia, & veritate, ad Ephesios cap. 5. d. 9. Et exemplo suo veluti proclamet universis & singulis: Audite vocem tubæ Angeli lucis. Datum Lovanii Anno 1635.

HENRICVS RAMPEN. S. Th.

Doctor & Professor Lovanii.

CENSVRA.

FOrtissimi duces Israel olim muros Ierichuntinos ac innumerabilem Madianitarum exercitum clangentibus tubis facilè destruxerunt. Nunc Reverendus ac Eruditissimus P. Hilarius *à S. Augustino monstrosa deliria verbi-ministrorum Synagogæ Calvinianæ hâc* vocæ tubæ *diffiat ac neruosè dissolvit. Quare ut omnium auribus insonare possit, publicari poterit. Ita censeo hâc* 27. Octobris 1635. *Bruxellis.*

HENRICVS CALENVS S. Th.
Lic. Archipr. Bruxell. libr. Censor.

LICENTIA ORDINIS.

FR. Agathangelus à IESV MARIA Carmelitarum Discalceatorum Congregationis S. Eliæ Definitor Generalis, necnon Provinciæ Belgicæ S. Ioseph Visitator Generalis, tenore præsentium libellum, cui titulus est, *Vox tubæ Angeli lucis, ad revocandum* P. F. *Fœlicem Emanuelem &c.* à R. P. F. *Hilario* à Sancto Augustino Conventus nostri Bruxellensis Sanctæ Mariæ de monte Carmelo Priore, & Exprovinciali compositum, de consensu Reverendi admodùm Patris nostri Præpositi Generalis permittimus typis mandari. Datum Bruxellis die 2. Ianuarii, anno 1635.

F. *Agathangelus à Iesu Maria Visitator Generalis.*

LICENTIA REGIA.

REgia *sua majestas in Senatu suo Brabantiæ permisit* R. adm. P. F. Hilario *à S. Augustino Carmelitarum Discalceatorum in Belgio Vicario Provinciali, & Priore Bruxellis, ut per eum typographum, quem lubuerit, imprimi curet libellum, cui titulus est.* Vox tubæ Angeli lucis ad revocandum è Calvinianis tenebris P. F. Fœlicem Emanuelem à S. Elisabethâ &c. *Vt latiùs constat ex litteris suis patentibus, datis Bruxellæ die* 3. *Novemb.* 1635. *& signatis.* Cools. *Ipse verò* R. Pater Hilarius *præfati indulti vigore* Hubertum Antonium Typographum Regium elegit.

VOX TVBÆ ANGELI LVCIS.

Narrantur gesta Patris Fratris Fœlicis Emanuelis, ex quo venit ex Hollandiâ in Brabantiam, & quomodo suscepit habitum Carmelitarum Discalceatorum Bruxellis, usque ad præsentem statum, in quo miserè in Hollandiâ agit.

PRODIIT paucis ab hinc mensibus, & ad manus meas pervenit, libellus vulgari idiomate conscriptus, & Roterodami typis excusus: cujus titulus erat. *Declaratio rationum, quibus adductus fuit D. Emanuel, natus Princeps Lusitaniæ,*

antea Monachus Ordinis Carmelitarum Discalceatorum, sub nomine P. Fœlicis Emanuelis, ut desertâ Romanâ Religione Ecclesiæ (quam author Catholicam & Apostolicam appellat) *se adjungeret.* Opusculum est (ut quod ipse sentio liberè dicam, & res ipsa vel obiter perpensa clamitat) planè hæreticum, & sentina quædam infinitorum errorum, quibus simùl & semel è medio tollendis, non tàm responsione eruditi viri quàm flammis opus erat. Quia tamen Spiritus Sanctus monet, nos semper paratos esse oportere, ad reddendam unicuique nostræ fidei rationem; danda est nobis opera, ut & justis piorum querelis fiat satis (qui ignaviæ ac torporis nos accusare possent, quod pestilentissimum hæreseos virus, simplicium animis instillari, citra ullum antidotum sineremus) & impiorum nobis insultantium vana insolentia retundatur, qui non vererentur (ut perfrictæ ac meretriciæ prorsus sunt frontis) jactitare, nos rationum momentis destitui, ad ejusmodi cavillationes labefactandas. Quàmobrem statui, impetratâ priùs Superiorum facultate, omnia argu-

argumenta cum orthodoxâ fide pugnantia, quibus libellus ſcatet, hauſtis ex divinarum literarum promptuario argumentis, perſpicuè convellere. Ad authorem operis quod attinet, liquidò conſtat, eum non eſſe P. F. Emanuelem. Evidentiſſimè id ipſum comprobo. Dùm enim Sanctæ noſtræ Religioni nomen dedit, non ſolum Sacram Theologiam, & in eâ controverſas quæſtiones, vel à limine non ſalutârat; ſed & linguæ latinæ omninò rudis erat. Ita ut neceſſaria fuerit Superiorum indulgentia, ut præter conſuetum noſtrum morem admitteretur. Ego ipſe (quod mei tunc muneris erat) ipſi tradidi præceptorem, à quo humaniorum literarum rudimentis informaretur. Poſtea ad ſcholas Philoſophicas miſſus fuit, in quibus (ut quod res habet, bonâ ipſius pace dicatur) non niſi mediocres progreſſus fecit. Vndè igitur illi repentè tantus hic doctrinæ apparatus, ut de quibuſvis fidei dogmatibus, uſque adeo diſertè arguitetur, atque audacter pronuntiet? Non ſunt igitur, ut dixi, hæc proprio ipſius marte confectâ. Certiſſimum eſt, eſſe

fœtum ingenii cujuſdam miniſtri Eccleſiæ Gallicanæ apud Delphos, qui incautum hominem illaqueavit, & in ſuam naſſam fraudulenter pertraxit. Vndè vel hoc ipſo veniam conſequi meretur, quod ignorans fecerit; & hoc quantumvis pudendum facinus impoſtorum fallaciis, miſerè ſeductus, admiſit. Quare hæc mea ſcriptio, non tàm ipſum P. F. Emanuelem impetit, quàm eos, qui acuerunt linguas ſuas ſicut ſerpentis; ſub quibus latet venenum aſpidum inſanabile, quo faſcinatus ad perennem miſer tendit interitum.

Priuſquàm verò rem ipſam aggrediar, lubet breviter Lectori, velut ſub uno intuitu ſubjicere, quæ noſter Emanuel geſſit, ex quo primùm è Bataviâ in Brabantiam venit, uſque ad illud tempus, quo ſummâ illâ levitate à Romanâ Religione deſcivit. Dùm Breda à Marchione Spinolâ obſideretur, ipſe in eâ pro Ordinibus confœderatis militem agebat: ubi autem ea in poteſtatem Regis Catholici venit, ipſe in Brabantiam, quò priùs Excellentiſſimus Dominus Parens ipſius ac

Frater venerant, ſe recepit, ut Regi ſerviret. Qui aliquantò pòſt dùm Bruxellis in aulâ Sereniſſimæ Principis Iſabellæ Claræ Eugeniæ verſaretur, conſtitutus eſt Dux cujuſdam cohortis equitum. Indè miſſus in civitatem Linghem, incidit in periculoſum morbum. Remedium afflictæ valetudinis ſibi à Superis expectandum arbitrans, peregrinationem ad ſacram Beatiſſimæ Virgini Matri Lauretanæ ædem, toto orbe celeberrimam, ſe ſuſcepturum Deo ſanctè promiſit. Voti compos factus, Bruxellam confirmatâ valetudine rediit, ubi Chriſtianæ pietatis officiis impenſiùs deditus, templum Carmelitarum Diſcalceatorum frequens adire ſolebat, ac pœnè quotidiè ſacroſancto miſſæ ſacrificio intereſſe. Contigit autem, ut ſub idem tempus quidam Luſitanus, non infimæ inter ſuos nobilitatis, ſæculo valere juſſo, noſtram Religionem ingrederetur. Ei nomen fuit Dominus Alvarus de Sosâ, nunc P. F. Elias à Sanctâ Mariâ Magdalenâ. Fuerat is noſtro Fœlici Emanueli familiari neceſſitudine conjunctus. Ab illo ergò die, quo D. Al-

varus ſacrum Religionis habitum ſuſcepit, inceſſit animo Emanuelis, idem ſanctum deſiderium. Sentiebat quippè ſe à Deo, arcano quodam impulſu moveri, ut præclarum illud amici ſui exemplum ſequens, idem Religioſæ perfectionis inſtitutum capeſceret. Ac tandem poſt maturam deliberationem ſtatuit, illo ipſo die, quo Dominus Alvarus decurſo approbationis anno, ſolemniter erat Religionem profeſſurus, obligatione prioris voti, videlicet peregrinationis, juxta ſacros Eccleſiæ canones ſuſpensâ, ejuſdem ſacræ Religionis habitum aſſumere. Sancti illius ſui propoſiti ac conſilii me certiorem fecit, atque enixè rogavit, ut non gravarer adire Sereniſſimam Principem, eamque lapidem movere, quò ei perſuaderem, ut bonâ ipſius veniâ, liceret exequi, quod divinitùs ſibi inſpiratum non dubitaret. Non potui ego, tàm juſtæ ipſius voluntati morem non gerere. Principem itaque adii, quæ pro ſingulari ſuâ in omnibus, ac potiſſimum ſimilibus rebus prudentiâ, mihi reſpondit; ad tanti momenti negotium, ſeriâ deliberatione, ac matu-

maturo opus esse consilio: præsertim ubi de repentinâ tanti Principis summo loco nati, ad ejusmodi vitæ institutum amplectendum, conversione ageretur. Se quidem tàm generoso ipsius proposito, à quo tot, tàmque eximia salutis æternæ commoda sperarentur, nequaquam obstare velle. Eâ enim insigni pietate semper fuit Princeps, ut etiam suas familiares, quas & in oculis ferebat & in delitiis habebat, facilè posthabitâ privatorum obsequiorum utilitate, ad monasticæ vitæ professionem transire permitteret. Hanc tamen facultatem nemini indulgere solebat, nisi accuratissimâ circumspectione ac cautione adhibitâ, quò exploratum haberet, num prudenter, & à Deo verè vocatę, ejusmodi statum ambirent. Addebat autem se dubitare, an hic novæ istius vitæ candidatus, posset usque adeò austeri instituti asperitates ac labores perferre. Hominem videri ad tristitiam naturæ propensioris; ac magnoperè timendum esse illud dedecus, quod probro verti solet viris illustribus (quantò magis huic regiæ stirpis Principi) si quando etiam citra suam culpam,

ſuſceptum ejuſmodi ſtatum deſerere coguntur. Verendum prætereà maximè, ne levi aliquâ ac merè humanâ ratione, ad iſtud conſilium ſuſcipiendum impelleretur. Perſtitit Sereniſſima Princeps in illâ ſuâ ſententiâ, neq; ab eâ longo ſatis tempore dimoveri potuit. Emanuel horum omnium per me factus certior, reſpondit ſe in ſancto ſuo propoſito conſtanter perſiſtere, minimèque dubitare, ſe divinæ opis præſidio, omnibus noſtræ Religionis auſteritatibus tolerandis parem fore, & in eâ uſque ad ultimum vitæ terminum perſeveraturum. Neque his contentus, ipſemet Principem adivit, à quâ cum eaſdem, quas priùs retuli, objectiones audiiſſet, eâdem ſemper conſtantiâ, eas diluit ac propulſavit. Cùmque Princeps nihil intentatum relinquens, quò animum ipſius exploratiùs pernoſceret, ei diceret, etiam atque etiam cavendum eſſe, ne illud vitæ genus amplecteretur, eo fortè vano metu perculſus, quod minùs proſperos reflantis fortunæ ſucceſſus formidaret: ſe enim in eo ornando atque euehendo, nullum benevolæ atquè propenſi-

penſiſſimæ voluntatis officium prætermiſſuram. Generoſum hoc dedit reſponſum, ſe videlicèt uſquè adeò firmiter ſuſcepto conſilio adhæreſcere, ut nè quidem Rege Catholico Luſitaniæ regnum ſibi offerente, mentem mutaturum. Quæ omnia, ut à me referuntur, ſunt veriſſima: nec ipſe ea negare ullo modo poteſt. Excellentiſſimus & piiſſimus Dominus Parens ipſius Emanuelis, ubi iſtud filii ſui conſilium ingrediendi Religionem reſcivit, dictu mirum, quibus non machinis animum ipſius arietare cœperit, ipſumq; deterrere, poſitis ei ob oculos omnibus difficultatibus, quas excogitare poterat. Quo enim pacto, inquiebat, iſtas tàm auſteri inſtituti aſperirates, eâ quâ es corpuſculi imbecillitate perferes, præſertim iis nunquàm anteà aſſuetus? an non perpendere oportuerat, quàm dura, quàm difficilia, quàmque ardua iſtius Religionis profeſſoribus ſunt perpetienda. Parúmne te commovet timor iſte, nè poſtquàm inconſultâ temeritate, te huic inſtituto alligare cœperis, maximo totius noſtræ familiæ dedecore, ab eo poſteà deſciſce-

ciſcere cogaris? quod ſi hæc animo tuo ſedet ſententia, omninòque tibi decretum eſt monaſticen profiteri, cur non in alios Ordines, qui tot ſunt, florentque in Eccleſiâ Dei, ac Religioſæ perfectionis obſervatione meritò commendantur, ſuaviuſque illud CHRISTI jugum ac levius onus portant, oculos conjicis? cur hic præ cæteris omnibus tibi maximè arriſit? an neſcis nobis perfacilè eſſe, beniguiſſimæ Principis favore, impetrare pinguem aliquam Abbatiam, ut in aliâ Religione (quod in iſtâ tibi non permittetur) commodè & cum dignitate & opimis proventibus vitam tolerare poſſis? Atque ut paucis tibi animum meum aperiam, ſi hoc feceris, me repugnante facies. Sic Pater animum filii expugnare conabatur; & ſurdo, ut dici ſolet, fabulam canebat: permanebat enim ille immobilis, nec de conſtantiæ faſtigio deturbari poterat, non aliter

Quàm ſi dura ſilex aut ſtet marpeſia cautes.

Magis enim eligebat affligi cum populo Dei (ut de Moyſe ab Apoſtolo dictum eſt) quam temporalis peccati habere jucunditatem, majores divitias æſtimans impro-

improperium CHRISTI thesauro Ægyptiorũ, id est, quem habere poterat in Ægypto hujus sæculi: aspiciebat enim in remunerationem. Perruptis igitùr omnibus his repagulis, illo ipso die, quo F. Elias (de quo suprà) solemniter Religionem nostram professus est, ipse ejusdem sacrum assumpsit habitum. Aderat Serenissima Princeps, stipata omnibus familiæ suæ nobilibus. Ipse verò novellus CHRISTI miles incredibili gaudio perfusus, luculentis interioris alacritatis signis foras erumpentibus, mœstos (ut in ejusmodi eventibus fieri solet) præsentium amicorum animos mirificè exhilarabat. Missus deindè Lovanium, ut cum aliis tyronibus approbationis annum perageret, sic se gessit, ut singulari quâdam regularis observantiæ perfectione, quâ aliis palmam præripere contendebat, magnam nobis omnibus futuræ aliquando eximiæ suæ virtutis expectationem concitaret. Omnes difficultates strenuo & generoso animo superabat, & si quandò indulgentiùs cum ipso Superiores agere vellent, ipse ad amussim omnia observare ardentissimè cupiens, con-

constanter reluctabatur. Decurso approbationis spatio, nihil priùs habuit in votis, quàm ut vehementissimè peteret ad professionem admitti : quod & factum est in Conventu nostro Bruxellensi, ubi eàm fecit in manibus meis, præsente iterùm Serenissimâ Principe, ac ipso Sedis Apostolicę Legato, omnibusque aulicis spectantibus. Iàm verò Professus, nihil de pristino conversationis Religioseę fervore remisit, laudabilis vitę bonum omnibus præbens exemplum. Quàpropter rationi consentaneum duxi, ut & Philosophicis disciplinis erudiretur, & etiam ad Sacerdotii dignitatem eveheretur. Nunquàm verò ille arreptum semel iter interrupit : loquor de iis, quę in oculos incurrunt ; de occultis enim ille solus judicat, qui renes & corda hominum scrutatur. Non multò post tempore, dedit ad me literas, quibus significabat, animum suum cœlitus impelli, præsertim dùm in oratione cum Deo familiariùs ageret, ad investigandam viam aliquam, quâ Sororibus, quę in Hollandiâ Calvinisticę impietatis erroribus tenerentur, & in aperto

æternę

æternę ſalutis diſcrimine verſarentur, jubente id fraternâ charitate, opitulari poſſet: ſibi autem ſpem non dubiam affulgere, ut ſi Superiorum permiſſu illuc profiſci liceret, poſſet utique, ſi non omnes, ſaltem duas aut tres, quarum mores probè perſpectos habebat, CHRISTO lucrifacere. Eâdem de re priùs cum Sereniſsimâ Principe egerat Excellentiſsimus Dominus Parens ipſius Emanuelis: quę ut ad quodvis pietatis & charitatis Chriſtianę opus erat propenſiſsima, omnem ſuam operam ac patrocinium ipſi prolixè pollicebatur. Eram id temporis Romę, ob generalia Ordinis noſtri comitia, quibus ex officio me intereſſe oportebat. Ille verò nihil ſibi omitendum ratus, quò expetitam illam profectionem ſibi conficere liceret, idem ſuum deſiderium mihi per literas Romam tranſmiſſas iterùm aperuit. Quod ubi ex me Reverendus admodum Pater N. Generalis intellexit, haud gravatè ipſius petitioni annuit: hâc tamen cautelâ adhibitâ, ſi Sereniſsima Princeps & Excellentiſsimus Dominus Parens ita facto opus eſſe exiſtimarent. Tandem

miſſus

missus est in Hollandiam, comitatus duobus aliis nostri Ordinis Sacerdotibus natione Hollandis: sed eâ conditione ut intra sex menses reverterentur. Socii verò ipsius experti ferventem Catholicorum ibi degentium pietatem in audiendis concionibus, ac Sacrosanctis Ecclesię Sacramentis frequentandis, allecti spe animas Deo in propriâ patriâ lucrifaciendi, oportunè, importunè à R. P. N. Generali petiêrunt, atque etiam impetrarunt, ut concessum illud ibi manendi spatium, diutiùs prorogari juberet. Dùm hęc aguntur, miser noster Emanuel variis modis exagitari cœpit, tùm ab hæreticis circà fidei negotium, tùm à politicis, animum ipsius ad Catholicę Majestatis odium concitantibus. Quibus turbinibus concussum tenellum illud germen, quod non satis altas solidę virtutis radices egerat, facilè labefactari potuit. Statuit igitùr in Brabantiam non reverti. Cùmque à Superioribus revocaretur, imò & ab ipsâ Serenissimâ Principe, ut constat ex ipsius literis, quarum exemplar in calce libelli sui apponi curavit, hanc excusationem prætexebat, quod

quod revertẽdi facultatem à Generali non haberet: quâ posteà obtentâ, ad aliud asylum confugit, dicens famam suam à malevolis hominibus, etiam sui Ordinis, multis mendaciis confictis in Brabantiâ, etiam apud Serenissimam Principem fuisse denigratam, & per summam iniquitatem laceratam. Quapropter se illuc reverti nolle, sed Italiam, vel alias Provincias cogitare: nimirùm, ut ait Sapiens Prover. 18. *Occasiones quærit, qui vult recedere ab amico.* Quæ tamen ipsius de Fratribus suspicio, omninò à veritate est aliena: nemo enim nostrûm quicquàm effutivit, quod ipsius existimationem, vel tantillum offuscare posset. Sed contrà potiùs sedulò curavimus, ut si quid siniſtro vulgi rumore hîc spargeretur, quod nomini ipsius labem aliquam inurere posset, id quoad ejus fierî poterat, eluere; & in meliorem partem interpretari. Quid verò mirum, si in tàm exiguâ locorum intercapedine, quâ Provinciæ Regis Catholici Imperio subditæ ab Hollandiâ sunt dissitæ, non divulgaretur scandalum, quod patiebantur Catholici, dùm ipsum viderent neglectis,

ctis solitis viri religiosi officiis, in alium hominem subitò commutatum? Vbi verò tota res, publicâ famâ ita ubique percrebuit, ut nullâ jam tergiversatione vel negari, vel occultari posset, postremùm hoc, quod nobis supereſſe videbatur, tanto malo remedium adhibendum duximus. Tres nostri Ordinis Religiosos, quos ei conjunctiores fuisse noveramus, in Hollandiam ablegavimus, qui ipsi ad nos reditum persuadere conarentur. Convenerunt illi hominem: quibus statim respondit, se propedièm rediturum: quod quidem etiam datis literis ad Parentem suum, ad P. N. Generalem, & ad me testatum fecit. Sed breve fuit hoc falsum nostrum gaudium, qui eum obviis sinceriſſimæ charitatis ulnis expectabamus. Quamprimùm enim Serenissimam Principem è vivis exceſſiſſe inaudiît, illud statìm hæreticæ pravitatis venenum, quod pectore reconditum gestabat, cum maximo totius orbis Christiani scandalo evomuit, abjuratâ in publicâ hominum luce, orthodoxâ fide, in quâ à teneris unguiculis educatus fuerat, ac militiæ filiorum Beli-

al no-

lial nomen dedit. Et ne turpiſſimi illiùs facinoris memoria apud Poſteros non extaret, edito publicè hoc libello, quem confutandum ſuſcepimus, illud perennare voluit.

Allatis per eum rationibus & excuſationibus ad juſtificandum receſſum à Catholicâ & Carmeliticâ Religione ſatisfit.

§. 1° Priuſquàm argumenta, quę adverſus orthodoxam fidem, in hoc libello proferuntur, confutem; lubet ſigillatim ea excutere, quæ author veluti proëmii loco habet. *Scribit igitùr Emanuelem ingentes Deo agere gratias, quod illa ipſa civitas, in quâ illi contigit naſci, & divini numinis favore, ſacro Baptiſmatis fonte renaſci, fidei, quàm publicè profitetur, ſit teſtis.*

Reſp. Novus profectò & hactenus inauditus peregrinę hujus Theologiæ Deum glorificandi modus, à Delphicis magiſtris inventus: ut infœlix noſter Emanuel, per abominabile & execrandum Apoſtaſiæ à fide & Religione flagitium, Deo gratum ſe exhibeat. Videntur planè de illorum

 nume-

numero esse, *qui lætantur cùm malè fecerint & exultant in rebus pessimis*, Proverb. 2. 14.

§. 2. *Dicit se, ut omnium utriusque partis votis morem gerat, Ecclesiæ videlicèt, & quam deserit, & quam ingreditur, velle hujus mutationis causas exponere. Ac primùm protestatur, se neque à carne, neque à sanguine consilium accepisse: sed à Spiritu Dei, à quo identidem impellebatur, ut mandatum illud sequeretur, quod habetur Apocalip.* 18. Exite de illâ, *scilicet de Babylone*, populus meus: ut ne participes sitis delictorum ejus, & de plagis ejus non accipiatis.

Resp. *Spectatum admissi risum teneatis amici.*

Cùm enim ridendi facultas proprium sit homini quarto modo; quis est qui modò vel micam mentis habeat, hîc non diffluat risu, dùm admirabile hoc Consistorii Delphici audit oraculum: nimirùm non esse consilium carnis, & sanguinis, sed Spiritus divini, misero huic homini persuadere, ut illius S. Religionis statum impiè desereret, in quâ nihil est non carni & sanguini contrarium, jejunia, vigiliæ, ab esu carnium abstinentia,

tia, nuditas, ſingularis caſtitas, & maximæ paupertatis cuſtodia, flagellationes, divitiarum ſæcularium fuga, & omnium eorum, quæ ſenſualitati adblandiuntur, inſuper aſſidua divinarum rerum meditatio. Quæ omnia ex diametro cum carne & ſanguine pugnant, & paſſim nobis in divinis literis à Spiritu Sancto commendantur: ita ut alia præcepto jubeantur, alia conſilio ſuadeantur. Quis igitùr ſanæ mentis non facilè perſpicit, inſignem iſtorum vel malitiam, vel ignorantiam, vel utramque ſimùl; qui ejuſmodi ſanctum inſtituendæ vitæ modum, Babylonem blaſphemo ore vocare audeant, atque Spiritus Sancti juſſu deſerendum eſſe affirment? Indubitatum eſt, exitum è Babylone non intelligi à S. Ioanne in Apocalipſi, de ipsâ civitate, quæ ſita eſt in intimis Perſidis regionibus, quæ caput extulit ſuprà cæteras gentes: ſed de Babylone tropicè conceptâ, quę ſignificat confuſionem, teſte Auguſtino tom. 8. mihi pag. 267. & multis aliis in locis. Sic paſſim ab omnibus. In quo ſenſu loquebatur S. Petrus Apoſtolorum Princeps, in 1. epiſtolâ

ſtolâ cap. 5. in fine dicens: *Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone coëlectâ.* Accipiebat enim pro Babylone Romam, ut Hieronymus, Beda, OEcumenius, Euſebius & alii. Nàm ſicuti in Babylone confuſionem linguarum immiſit Deus, *ut non audiret unuſquiſque vocem proximi ſui*, ut dicitur Gen. 11. 7. *& idcircò vocatum eſt nomen illius Babel, quia ibi confuſum eſt labium univerſæ terræ:* Eodem planè modo contigit antiquitùs Romæ, dùm in Gentilitatis tenebris adhuc verſaretur, ut eleganter docet S. Leo Papa, Serm. 1. Natal. Apoſt. Petri & Pauli, dicens: *Hæc autem civitas, ignorans ſuæ provectionis auctorem, cùm penè omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium ſerviebat erroribus: & magnam ſibi vindebatur aſſumpſiſſe Religionem, quia nullam reſpuebat falſitatem.*

Quantò igitùr magis proprium & conſentaneum eſt, Sectariorum populum, quàm Catholicorum cætum Babylonem nuncupare. In hoc enim non eſt niſi unum labium, una fides, unuſque & idèm ſenſus. Inter Sectarios autem non eſt niſi confuſio linguarum, portentoſum illud diſcre-

diſcrepantium opinionum chaos :ita ut in eâdem domo, eâdemque familiâ ferè non reperiantur, qui inter ſe cohæreant. Idq; non de his tantum, in quibus licet unumquemque in ſenſu ſuo abundare, utpotè de fide adhuc non determinatis; quod etiam Catholicis licet: ſed in ipſis fidei principiis diſſentientes. Dùm enim Sectariorum unuſquiſque detrectat ſe ſubmittere cathedræ Petri, in varios & penè infinitos, maximoſque errores impingunt. Liquidò igitùr conſtat iſtos prodigioſæ ignorantiæ vertigine circumagi, & non Magiſtros veritatis; ſed puros putos impoſtores eſſe, ac mendaciorum Architectos, qui hæc maleſani capitis ſui deliramenta ac vanitates & inſanias falſas pro ſalubribus conſiliis, hominibus incautis & inexpertis obtrudere non verentur. Ipſumque proindè infœlicem Emanuelem, non à Deo vocatum, ſed carnis & ſanguinis illecebris ineſcatum ex nobis exiiſſe. Nec inficieris hæc, aut exultes, Sectari, eo quod allegaverim S. Petrum, Romam nuncupaſſe Babylonem: nec exiſtimes eodem pariter modo

Romanam Ecclesiam Babylonem esse vocandam: nam licet in Vrbe fundata fuerit & hucusque firma & inconcussa in eâ permanserit; non ab Vrbe ipsâ, non à Romanis Imperatoribus, non à Senatorum prudentiâ, nec à Ciceronianiâ eloquentiâ; sed ab ipsomet Deo fulcita & solidata permanet & conservatur. Ad eum modum quo CHRISTVS Dominus Pilato dixit: Ioan. 18. 36. *Regnum meum non est de hoc mundo.* Non quòd non esset in mundo Regnum CHRISTI, sed quòd non haberet ab ipso radices: & posteà magis explicuit, dicens: *Regnum meumnon est hinc.* Sic Romana Ecclesia, licet Romę caput suum visibile habeat; non tamen ab antiquis idolis, non à turpiqus simulachris, aut variis superstitionibus (in quibus erat Babylonica illa, de quâ Petrus, confusio) originem ducit; sed à cælesti Hierusalem, que est civitas pacis & unionis, in quâ veritas æterna refulget. Quàpropter confusionem tuam Calvinisticam Babylonem meliùs ac convenientiùs appellaveris: sicut unionem Catholicam & fidelium cœtum rectiùs Hierusalem vocaveris,

caveris, seu, quod idem sonat, pacis visionem.

§. 3. *Prævidere se ait, maledicta, probra, & obtrectationes, quibus passim est proscindendus, ob novum istud susceptum consilium: omnia verò hæc æquo animo pro* CHRISTO *tolerarum, memorē illius, quod habetur Math.* 5. Beati estis cùm maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos: gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælis, *item & illius:* Qui cùm maledicereur, non maledicebat, *& rursus*, Benefacite eis qui oderunt vos, & orate pro persequentibus vos.

Respondetur. Quis neget beatos, ac fortunatissimos, in scholâ & militiâ Christi, qui persecutiones & injurias patiuntur? quod tamen intelligendum est, si id fiat propter justitiam, ut ipse Christus Dominus asserit, non autem contrà justitiam; propter Deum, non contrà Deum; ut jam noster Emanuel, qui dereliquit pactum Domini: votum fecit Deo Iacob, sed non reddidit Altissimo vota sua, ac propterea ista non sustinet propter Deum, sed

propter mundum, carnem & diabolum. Satiùs illi fuiſſet habere curam de bono nomine, juxtà conſilium Eccleſiaſtici cap. 41. Hoc enim generoſis & excelſis animis à naturâ inſitum eſt, ut bono nomine nihil carius, nihílve antiquius habeant. Hoc enim, ut idem ait Eccleſiaſticus, ei magis permaneret, quàm mille theſauri pretioſi, & magni. Sed, proh dolor! incautus Emanuel, quaſi alter Ephraim factus eſt: ut columba ſeducta non habens cor, alienis dedit honorem ſuum, contrà monitum Spiritus Sancti Proverb. 5. Nec cupit dicere cum Apoſtolo Paulo Corint. 2. *Chriſti bonus odor ſumus in omni loco*, hoc eſt habemus bonum nomen apud omnes, famam, honorem, & gloriam, quæ juxtà D. Thomæ & communem aliorum doctrinam, eſt clara cum laude notitia. Vtitur S. Paulus metaphorâ boni odoris: nàm quemadmodùm hic coaleſcit ex diverſis, & pretioſiſſimis aromatibus, aut ex variis & flagrantibus floribus; ita bonum nomen, ſeu fama conflatur ex cumulo omnium virtutum, & honeſtarum actionum: ſicut è contrà amittitur per actus virtuti con-

contrarios. Quæ omnia paucis complexus est Sapiens Proverb. 10. *Memoria justi cum laudibus, nomen autem impiorum putrescet.* Benè audiît noster Emanuel, quàmdiu inter nos versatus est: & à primo die quo assumpsit habitum Carmelitarum, usque ad ipsius in Hollandiam profectionem, nemo fuit qui de eo non honorificentissimè, & sentiret, & loqueretur. Fama ipsius summis laudibus inclyta, per totam Europam circumvolitabat, & celebrabatur. At ubi primùm in Hollandiâ cum sæcularibus, ac potissimum cum Hæreticis agere cœpit, viderunt́que Hollandi Catholici eum ambulantem non secundùm Deum, sed vias indirectas; percrebuit statim rumor de repentinâ vitæ ipsius mutatione: primùm quidem per totam Bataviam, & mox per reliquas Belgii partes; ac tandem vix fuit in orbe locus tàm inaccessus, quem non pervaserit: ut proindè non sint loquelæ neque sermones, quibus non publicetur tàm lamentabilis, & inopinata mutatio, non quidem dextræ excelsi, sed siniſtræ diaboli.

§. 4. *Cupit omnibus compertum esse, se non occul-*

occultè è Monaſterio, in quo religioſum inſtitutum profeſſus fuerat, egreſſum eſſe; ſed ex facultate Generalis Ordinis, Sereniſſimâ Infante, & excellentiſſimo Parente ſuo ſcieniibus & conſentientibus. Animi tamen ſui conſilium fatetur ſe celaſſe: hunc verò prætextum ſe confinxiſſe. Cupere videlicèt ſe in Hollandiam proficiſci, ut Sorores iſthîc degentes pelliceret ad hoc, ut ad Patrem reverterentur: ſine quo commento, nullus patebat aditus conſequendæ libertati, quâ nunc fruitur.

Reſp. Ingenuè fatemur egreſſum ipſius, ut ipſe narrat, ita contigiſſe. Quod autem ſimulaverit ſe, ſub prætextu lucrifaciendi Sorores ſuas, Hollandiam petere, animo relinquendi fidem orthodoxam, aliundè non conſtat, quàm ex ipſius teſtimonio; qui ſolus præter Deum, pectoris ſui arcana noſce poteſt, teſte Apoſtolo 1. Corinth. 2. 11. *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis qui in ipſo eſt?* Memini tamen paucis pòſt ipſius ex Brabantiâ in Hollandiam diſceſſum menſibus, me ab ipſo literas miſſas Hagâ Comitis accepiſſe, quæ hæc verba continebant: *Nulla ſpes affulget Sorores meas Bruxellam*

xellam adducendi, proindè jàm ad Monasteri-um reverti possumus. Ex quibus manifestè constat, ipsum id temporis nondùm constituisse à fide & religione, quod posteà fecit, turpiter deficere. Vt ut sit, ipse viderit. Possumus illi dicere cum Prophetâ Oseæ 13.9. *Perditio tua Israel.* Seipsum decepit, ac vinculis tartareis illaqueavit. Certissimùm enim est, ut dicitur Sap. 1. 5. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum.* Ac propterea ab ipso derelictus tanquàm alter Cain profugus, nisi resipiscat, in mundo ambulare cogetur, donec posteà detrudatur in tenebras exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium.

§. 5. *Omnibus quoque notum esse cupit, se ob defectum aliquem, vel culpam, vel quod ferendo vigori istius Instituti par non esset ex Religione dimissum non fuisse: idque constare ex literis patentibus, quas ex me, tùm Provincialem agente, ex commissione R. P. N. Generalis: item idipsum patere ex aliis Provincialis, item Serenissimæ Infantis ac Parentis sui, aliorumq; literis, ad ipsum in Hollandiam transmissis: quæ omnia nihil aliud testabantur, quàm summam Ordinis ergà ipsum benevo-*

lentiam

lentiam, & charitatem; nullamq; de ipſo, mentì cujuſquam ſiniſtram opinionem obrepſiſſe, donec conciones Calviniſtarum ipſum frequentare conſtans fama huc pertulit.

Reſp. Iàm ſupra faſſi ſumus non ſemel, ipſum quàmdiu inter nos verſatus fuit, ſemper laudabiliter vixiſſe, nec ullam de ſe conqũerendi anſam cuiquàm præbuiſſe. Et hæc cauſa fuit, quę Superiores impulit, ut eum ſaltem ad breve tempus in Hollandiam mittere non dubitaverint. Verùm abuſus fuit candore ac ſyncerâ confidentiâ ſuorum Superiorum, qui meliorem de ipſo opinionem conceperant, atquè in Dei timore & fide conſtantiorem fore exiſtimabant; tùm quod præclarum probitatis ſaltem externæ ſpecimen jàm anteà dederat, tùm quod excelſiori animo eum eſſe crederet, quàm ut honoris ſui tàm levem eſſe jacturam duceret. Sed jàm noſtro malo didicimus, non facilè fidendum de juniorum probitate, donec multorum annorum experientiâ, altas ſolidaſque virtutum radices egiſſe comprobetur.

§. 6. *Quod ſi quis, inquit, objiciat, humanis ra-*

nis rationibus impulsum Religionem ipsum deseruisse. Hoc quidem fatetur, sed negat eas fuisse præcipuum motivum. Dicit eas tanquàm adminicula dumtaxat deservisse fini principali consequendo, qui spiritualis erat: ut videlicèt per libertatem corporis acquireret liberam facultatem Deo purè serviendi, ac sanctum ipsius nomen sine periculo confitendi. Veritas itàque, cujus anteà sufficientem habuerat notitiam, ipsum ut è Religione discederet, urgebat. Cúmq; utraque libertas, animæ nimirùm & corporis, adeò conjunctæ essent, ut alteram sine alterâ obtinere non posset, necesse fuit eâdem viâ utramque sectari.

Resp. Si verum esset, quod non puto, quod diabolus jam anteà misisset in cor infidelitatis, seu hæresis tenebras; immortales Clementissimo Deo oporteret nos grates rependere, pro singulari illo beneficio, quo permisit eum à nobis separari: & quò citiùs id factum, eó meliùs. Quæ enim conventio lucis ad tenebras? Certè multò magis nobis intus nocere poterat, quam extrà: lethale enim venenum in stomacho latens facilè cæteras omnes corporis partes labefactat. Nec vacat grandi periculo

culo ejuſmodi aſpides in ſinu fovere. Attamen potiùs hoc dictum credimus ex Rabbini Delphici malitiosâ impoſturâ, quàm ex Emanuelis noſtri ſubdolâ machinatione: nobiliſſimum enim ac generoſum animum, hæc & id genus alia fingere haud quaquàm decet.

§. 7. *Ait ſe è Monaſterio non deceſſiſſe, quò ſibi liceret, ſæculi voluptates liberiùs ſectari: nullam enim cellam uſque adeò circumſeptam atque obturatam eſſe, etiam inter rigidiſſimas Monaſteriorum auſteritates, in quâ ſat multæ rimæ non reperiantur, per quas tranſeant objecta, ad quæ ſuſpirant ii, qui ore tenus duntaxat ſenſualitati renuntiarunt.*

Reſp. O execrabile mendacium, ac prorſus ſatanicum, & infernale venenum, haud dubiè à pharmacopolis Synagogæ Delphicæ confectum! nec enim fieri poteſt, ut miſero Emanueli tàm infanda cogitatio in mentem venerit. Neque credibile eſt ipſum ita à Domino Deo derelictum eſſe, ut tàm iniquam, tàmque ab omni veritate alienam ſententiam, repugnante propriâ conſcientiâ, vel fingere audeat, vel proferre. Si carnis voluptatibus indul-

indulgere nobis fuiſſet in animo, quid neceſſe erat ſæculum deſerere, in quo per matrimonium conceſsâ venere frui licebat? quis ergò vel mediocri pollens judicio Conſiſtoriales illos Delphicos ſanæmentis eſſe exiſtimet? quis non exſibilet? qui neſcio quibus intemperijs acti, & ipſi putent, & orbi perſuadere ſtudeant iſta de viris religioſis, qui ſuapte ſponte, repudiatis ſæculi illecebris, ſe Dei obſequio mancipârunt, nuncupatis tribus illis ſolemnibus votis, obedientiæ, caſtitatis & paupertatis. Adde proptereà arctiſſimam obligationem vivendi ſecundùm regulam & conſtitutiones Ordinis, diuturna per octo ferè menſes quotannis jejunia, continuam ab eſu carnium abſtinentiam niſi ægritudo iis veſci ex medicorum præſcripto cogat; ut nihil dicam de vigiliis, trinâ ſingulis hebdomadis flagellatione, nuditate, vilitate, & aſperitate habitus, ſtrictiſſimo ſilentio; cujus tàm accurata eſt obſervantia, ut non ſolum cum ſæcularibus Religioſo citrà Superioris facultatem loqui liceat; ſed ne quidem cum alio Religioſo; ſolitudinis denique ac receſſus

ceſſus cuſtodiam exactiſſimam. Quod ſi quando neceſſitas ſuccurendi proximo clauſtro egredi compellat, ea quidem facultas, ei qui evocatur, à Superiore concedituˋr, ſed datur individuus comes, qui teſtis ſit & arbiter omnium, quæ ab alio foris geruntur. Omitto, quod inviolabiliter hoc ſemper obſervatum fuerit, ut mulieribus Monaſterii ſepta ingredi non liceat. Per quas igituˋr rimas, ejuſmodi objecta ſenſualitati adblandientia irrepent? Vel dicat ipſemet Emanuel, num aliquando quid ſimile ipſi, dùm inter nos ageret, contigerit, vel in alio Fratre viderit? Potiſſima enim media, quibus ad Religioſæ vitæ puritatem ac perfectionem contendimus, ſunt ſpiritualia exercitia, orationes videlicèt & meditationes, quibus dies noctesque incumbimus, ut oculos intentos in Deum ſemper habere poſſimus, qui evellat de laqueo pedes noſtros. Accedit frequens uſus Sacramentorum, Sacroſancti Miſſæ ſacrificii quotidiana celebratio, aſſiduum pſallendi exercitum: quæ omnia, dictu mirùm! quantúm conferant ad animas Deo uniendas, ipſiuſque timore car-

re carnes configendas. Quàmobrem fit, ut veriſſimùm eſſe experiamur, quod habetur Proverb. 1. verſ. 17. *Fruſtrà jacitur rete antè oculos pennatorum.* Retia videlicèt & laquei quos infernales venatores dæmones ponunt, vel jaciunt ad capiendas animas. Quod fruſtrà faciunt antè oculos eorum, qui per ejuſmodi exercitia, ita à fluxis ac labentibus mundi rebus ſe abſtrahunt, ut eorum converſatio tota ſit in cælis. Nequè tamen, licet omnibus his præſidiis muniti ſimus, nobis blandimur, quaſi de noſtrâ in viâ virtutis perſeverantiâ à lapſu ſecuri. Nota eſt enim atquè explorata nobis tentatoris, nuſquàm non inſidias ſtruentis vafricies: manifeſta eſt quoquè humanæ infirmitatis atquè fragilitatis, ſemper in deteriora propendentis corruptio. Præſertim cùm nulli obſcurum ſit, tàm admirandos ac tremendos contigiſſe, ac quotidiè contingere lapſus. Salomon iis ſapientiæ dotibus à Deo cumulatiſſimè ditatus, quò non amentiæ devenit: Judas ex Apoſtolatus culmine miſerabiliter excidit: & in lege gratiæ refert S. Auguſtinus ſe vidiſſe in Eccleſiâ

Dei primates viros, proceros ſicùt cedros Libani, qui ferè cum Hieronymo & Ambroſio conferri poterant, turpiſſimè corruiſſe. Quales caſus videtur Deus inſcrutabili ſuâ providẽtiâ, quamquàm non uſq; adeò frequentes, etiam in auſterioribus Religionibus permittere, per aliquorum apoſtaſiam; qui nondùm ſatis *carnem ſuam cum vitiis & concupiſcentiis crucifixerunt, & ideò traditi ſunt in reprobum ſenſum*, & videtur adimpletum illud Eccleſiaſtici. 19. *Quod vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes.* Quę ſatis ſuperque nos movent, ut ſemper ſimus memores ſalutaris conſilii Apoſtoli, dicentis 2. Corin. 7. 15. *Cum timore & tremore ſalutem veſtram operamini.*

§. 8. *Dicit ſe non deſeruiſſe Religionem allectum ſpe commodorum, ſive ſucceſſionum temporalium. Conqueritur de Regibus Hiſpaniæ, quaſi injuſtè Regnum Luſitaniæ invaſerint, atquè occupent, & quod Excellentiſſimo Domino Parenti Bruxellis denegatus ſit titulus Principis Luſitaniæ.*

Reſp. Non eſſe mei vel propoſiti, vel muneris, examinare quo iure prudentiſſimus & Auguſtiſſimus Philippus II. Regni Luſitaniæ

sitaniæ possessionem vendicarît. Hoc mihi certò persuadeo, quod & ab aliis accepi, istud factum non fuisse, nisi priùs consultis eruditissimis, gravissimisque Theologiæ, ac Juris Doctoribus, non solum sub ipsius ditione florentibus in Academiis, sed etiam ex aliis Regnis. Insuper concors Lusitanæ gentis, eaque animi inclyti, applausus; nec non totius Regni permanens consensus, quo tanti Regis acquiescunt & parent ditioni, irrefragabile æquissimę possessionis argumentum præbent. Quod verò attinet ad titulum Principis Lusitaniæ: non est mirum quod nequè Bruxellis, nequè in ullis regnis, aut Provinciis, quæ Hispaniarum Monarchæ Imperio parent, Excellentissimo Domino Emanueli non concedatur: quandoquidem juxtà communem, ac consuetum loquendi modum titulus Principis Regni, solùm competat illi, qui directè & immediatè debet in regnum succedere. Vndè apud Hispanos solus primogenitus vocatur Princeps regni, sicùt in Galliâ Delpinus: cæteri omnes Filii, quàmvis in regnum succedere possint non

Principes, ſed Infantes nuncupantur. Videat igitùr etiàm atquè etiàm noſter Emanuel, ne aliquâ ambitionis, aut umbratilis gloriolæ aurâ afflatus, calcatâ CHRISTI humilitate, quàm anteà profitebatur, miſerandi ſui lapſus cauſam dederit. Ac memor ſit, quomodo Sereniſſimæ Infanti renitenti ac recuſanti facultatem Religioſum habitum recipiendi, ſic reſpondit. Etiamſi Rex, Luſitaniæ Regnum mihi conferre dignaretur, potiùs monaſticen acceptarem quàm illud. Cur igitùr qui omnia, ut nudus CHRISTVM ſequeretur, reliquerat, fugacibus citòque perituris commoditatibus ſeipſum irretire cupit.

§. 9. *Narrat copulatos fuiſſe matrimonio Parentes ſuos, quàmvis contrariis Religionibus conſtanter ac mordicùs adhærentes; Patrem quidèm Romanæ, Matrem verò Calvinianæ: cum hâc verò conditione matrimonium fuiſſe initum, ut liberi mares, qui ab ipſis procrearentur, Patris fidem; fœminæ verò Matris amplecterentur. Gloriatur inſuper infœlix Emanuel, ſibi Baptiſmi Sacramentum collatum fuiſſe Delphis in templo Calviniſtarum: idquè à mi-*

à ministro hæretico, spondentibus patrinis qui ex more adhiberi consueverunt, ipsum rudimentis fidei, quàm Mater sectabatur se imbuturos. Quod Mater haud quaquàm negligendum putavit. Cùmq; parvuli non nisi Matri adhærescere soleant, donec firmatis corporis viribus, & affulgente aliquâ judicii maturescentis luce idonei videantur, qui alio ablegentur; ipse ad annum usque duodecimum sub tutelâ, ac disciplinâ Matris permansit, à quâ hausit primas illas instructiones Fidei ex Cathechismo Calvinistico, quas fatetur animo semper inhæsisse, simùlq; propensum ad Matris Religionem affectum.

Resp. Nolo hîc quæstionem illam disputando attingere, liceátne, vel saltem expediat ut Catholici cum Hæreticis matrimonium ineant; nàm causę politicę sæpenumerò in ipsâ praxi rationibus Theologicis præponderant. Veniam ad rem ipsam quâ de agitur. Vulgatum est illud in scholis Dialecticorum, conclusionem sequi debiliorem partem antecedentis syllogistici. Istud imitari voluisse videtur noster Emanuel, qui Matris Religioni adhærere maluit, quàm Patris. Quod tamen

men consilium non est secundùm Deum, neque secundùm scientiam, neque secundùm prudentiam justorum. Age, dic mihi, obsecro, quid te potissimum impulit, ut isti te sectæ addiceres? Si enim materialiter, ut dicitur, id est, ratione subjecti consideres solam Matrem: ipsam reperies, ac Principem Guillielmum Nassauvium, ejus Patrem, atquè Avum, qui primò ex nobilissimâ illâ, & antiquissimâ stirpe dereliquerunt pactum Domini, & ab Ecclesiâ Catholicâ recesserunt; idq; intuitu motivorũ merè temporalium, ut omnibus notum est. Cæteri verò majores inter eximias suas laudes, quas nulla posteritas silebit, hanc sibi non infimam jure vendicãt, quod à Fide, quàm Romana tradit Ecclesia, numquàm ne latum quidèm unguem deflexerunt. Quid dicam de Patre tuo, viro tùm pietate spectatissimo, tùm prorsus singulari ergà Catholicam Fidem zelo? qui tametsi à puero inter Principes ac populos Hæreticos egerit, numquàm tamen vel minimâ erroris rectæ Fidei contrarii labeculâ fuit respersus, sed traditam à majoribus Religionem constan-

ſtantiſſimè ſemper inviolatam conſerva-
vit. Nihil dico de univerſis Luſitaniæ Re-
gibus, inter quos ne vel unus reperitur,
qui à Fide Catholicâ alienus fuerit. Ob-
verſetur animo tuo Avus tuus Sereniſſi-
mus Dominus Antonius de Portugal, ra-
rum quoddam omnis pietatis & virtutis
exemplum; qui ad inſtar Davidis, librum
cæleſti doctrinâ plenum edidit: quo di-
vina chariſmata, quibus cælitus abundan-
tiſſimè cumulatus erat, in legentium cor-
da effudit. Cur igitùr horum veſtigia non
ſectaris? cur unus tuæ Matris Religio-
nem, tot præclariſſimorum majorum tuo-
rum pietati, ſapientiæ, ac fidei anteponis?
Sed quibus, obſecro, ſtabilita eſt fundamẽ-
tis? quibus nititur columnis fides Matris
tuę, quàm ſequeris? Qui eam orbi invexe-
runt, fuerunt Lutherus, & Calvinus, Go-
marrus, eorumque diſcipuli, ejuſdemque
farinæ tenebriones: quos ab Eccleſiâ, ob
vitæ improbitatem ac perverſam doctri-
nam reſectos ac ejectos, veluti fœtida, &
mortua membra, univerſus orbis execra-
tur. Minimè verò illud prætereundum
eſt, quod ait, ſe in templo Calviniſtarum,

eorum ritu, à Miniſtro hæretico baptizatum fuiſſe: quæ omnia ſuſpicione ac metu non carent, ne hujus Sacramenti collationi quippiàm defuerit, quod illud reddiderit invalidum, ac inanè, experſque effectuum, quos ex divinâ inſtitutione operari ſolet. Quid enim ſi aquâ roſaceâ, aut aliâ odoriferâ, loco elementaris (quod nonnumquàm à Miniſtris, extremâ vel ignorantiâ, vel malitiâ fieri ſolere fertur) adhibita fuerit? Quid ſi alio abluente, alius eſſentialia formæ verba protulerit? Vt nihil dicam de craſſis erroribus, qui in Calviniſtico ſymbolo, circà auguſtiſſimæ Trinitatis myſterium habentur. Quocircà prudentiſſimè ſancitum eſt à Patribus Synodi Mechlinienſis, ut ii qui ab Hæreticis baptizati ad fidem Catholicam convertuntur, Catholico more ſub conditione rebaptizentur. Quid igitùr mirum, ſi noſter Emanuel tàm debili, infirmo, ambiguo, ac quod maximè timendum eſt falſo fundamento nixus, tàm miſerè corruerit?

§. 10. *Dicit ſe ab Excellentiſſimo Parente miſſum cum Fratre ex Hollandiâ in Galliam ad Ex-*

ad Excellentiſſimum Patruum Dominum Chriſtophorum de Portugal, virum Catholicæ Fidei cultorem eximium. Et verè ex Batavia raptus dici poterat, ne malitia mutaret intellectum ejus. Sed ait, ſe dubium ſemper hæſiſſe ex illâ gratiâ ſibi divinitùs conceſſâ, quâ prima maternæ inſtructionis elementa animo impreſſa retinuit: dubium, inquàm, num Romanæ Religionis cultus Deo placeret. Se nihilominùs inter hos errores Parentis juſſu, eam ſecutum fuiſſe, atque id quidem ſponte feciſſe: ſemper tamen ingenti deſiderio æſtuaſſe accuratiùs veram ſalutis, inter Paternæ Maternæq; Religionis diſcrimina, viam cognoſcendi. Tandem agit de impedimentis, quæ ipſum retardabant, quò minùs hanc viam invenire poſſet: cùm eſſet, ut ait, denſiſſimis tenebris immerſus. Præterea neſcio qua ſuperſtitioſâ in quemdam Religioſum Ordinem propenſione tenebatur, plurimis ipſum illuc impellentibus: cùm nec deeſſent quoquè rationes politicæ, aliæq; cauſæ, quæ compendioſiorem, ſecuriorem in cælum curſum oſtendere videbantur, ſi ſe turbulentis mundanarum rerum fluctibus eriperet. Atquè ita tandèm pòſt ancipites illos dubitationum æſtus, habitum Religioſum de manu Sereniſſimæ

Principis Infantis accepit. In quo ſtatu, per annos circiter quatuor permanſit. Inſtructus fuit in linguâ latinâ. Hauſit quoquè Philoſophiæ præcepta. Quibus præſidiis munitus, faciliorem ſibi fecit aditum ad eam, ad quam potiſſimùm anhelabat ſcientiam, veram ſcilicèt Dei cognitionem, ut ei in veritate placeret, animæq; ſuæ ſalutem, cum proximorum ædificatione promoveret.

Reſp. Mira Conſiſtorialium Delphicorum in hâc poſtremâ ſermonis parte vertigo, quæ vel ſola argumento eſſe poterat, nihil eorum quæ hìc ſcribuntur, ab Emanuele fuiſſe compoſitum: ſed nec fortaſſis viſum, priùſquam tàm præclarus partus lucem aſpiceret, ac omnium manibus tereretur. Imprimis enim ignorare non poteſt Religioſum habitum non recepiſſe de manu Sereniſſimæ Infantis: ſed illius, qui eo tempore Provincialis munere in Ordine fungebatur. Prætereà quomodo ipſe ſibi conſtat, dùm ait, animo ſuo ſemper inhæſiſſe, primas illas materne inſtructionis delineationes: ac propterea ſemper dubitâſſe; nùm Fides, quàm Romana Eccleſia profitetur, Deo accepta eſſet.

esset. Posteà verò sui oblitus affirmat, se in eâ Religione tanquàm in proprio elemento, id est, cum magnâ animi tranquillitate ac securitate vixisse? Quid deindè vel magis ridiculum, vel minùs veritati consentaneum esse potest, quàm professionem Religionis Romanæ, vitam latam appellare: tacitè insinuando Hæreticorum vitam esse arctam viam? Ecclesia Catholica obligat ad jejunia, ad ciborum delectum, ad obediendum Præpositis, ad Sacramentorum susceptionem, præsertim Pœnitentiæ, in quo omnia delicta quantùmvis occultissima Sacerdoti aperienda sunt, ac injustè ablatorum restitutio fieri præcipitur. Multa deniquè alia jubentur, quibus effrænis hominum cupiditas compescitur. Quid verò simile apud Calvinistas reperitur? Apud hos nulla Sacramenti Confessionis, seu pœnitentiæ obligatio, nulla jejuniorum, nulla à carnibus abstinentiæ lex est, nulla Prælatorum obedientia, actus meritorios tollunt, ac sine illis de salute consequendâ securos se esse inaniter præsumunt. Judicet nunc quivis æquus arbiter inter nos &

Cal-

Calviniſtas, horúmne, an noſtra via ſit arcta vel lata? Quod verò attinet ad id quod Delphici Conſiſtoriales nos vocant Regnum tenebrarum, & profeſſionem mendacii: ſe verò regnum lucis, ſuamque Religionem, profeſſionem veritatis, & alimentum ſalutis: his videtur appoſitiſſimè reſpondere Iſaïas, dùm ait, cap. 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum: ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* O infœlix Emanuel, utinam ſaperes, & intelligeres, ac noviſſima provideres. Et hæc ad ſatisfaciendum huic proëmio malè ſano ſufficient.

Propo-

Proponuntur & refelluntur argumenta & motiva, quibus ſeſe convi-ctum fatetur, ut Romanâ Eccleſiâ ſpretâ, ad Calviniſmum tranſvolaret.

MOTIVVM I.

AIT, quod de Romanæ Religionis & monaſteriorum more, Sacrorum Doctorum ſtudio applicatus, in ipſis plures contradictiones animadverterît. Ipſum S. Auguſtinum cæterorum facilè Principem, retractationum librum edidiſſe compererit. Ex tunc ſcripta ejus ſibi ſuſpecta fuiſſe, & exiſtimaſſe veritatem, Patribus inhærendo, non eſſe indagandam. Eoſdem anteà filios fuiſſe, ac lumen ſuum ab aliis mutuaſſe. Ad fontem & originem luminis recurrendum: nempè ad Sacram Scripturam Prophetis, Apoſtolis, & Evangeliſtis divinitùs revelatam. Hos eſſe fundamenta Eccleſiæ, ſuprà angularem lapidem Chriſtum Ieſum, qui eſt lux vera illuminans omnem homi-

hominem venientem &c. Ioan. 1. 9. *Ab hoc fonte omnes alios ſuam hauſiſſe doctrinam. Nos moneri eumdem perquirere ſolicitè*, Ioan. 5. 39. Scrutamini ſcripturas. 2. Pet. 1. 19. Habemus firmiorem Propheticum ſermonem, cui benefacitis attendentes, quaſi lucernæ lucenti in caliginoſo loco. *Vndè infert, ex ipſius Scripturæ puritate Patrum doctrinam eſſe dijudicandam.*

RESPONDETVR.

Oſtendendo quàm turpiter Sectarii Sanctorum Patrum doctrinam deſpiciant.

FOntem quidèm limpidiſſimum eſſe Sacras literas, & Apoſtolicam doctrinam; undè aquam vitæ SS. Patres, & Eccleſiæ Doctores protinùs hauſiſſe oportuerit; quo & eorum ſcripta revocanda ſint, velùt ad lapidem Lydium; quo explorata delimentur, non eſt qui dubitet. Nullus ea unquàm ſecundùm ſe regulas fidei eſſe voluit. *Nequè enim*, ait Auguſt. epiſt. 111.

ad

ad Fortunatianum, *quorumlibèt disputationes quàmvis Catholicorum & laudatorum hominum, velùt Scripturas Canonicas habere debemus.* Rectè tamen quisquis Orthodoxus est, hoc voluit: quod Doctorum & Sanctorum Patrum doctrina, à tot sæculis in universali Ecclesiâ recepta, & approbata, verbi divini, tùm scripti, tùm traditi fidelissima sit interpres: & quod potiùs suspectum sit, proprium ac particulare cujusque in interpretandis Sacris paginis judicium; quàm tot & tantorum virorum genuina interpretatio, Pontificiâ, & Conciliorum authoritate præsertim fulcita. Si errare in aliquo potuerunt, aut re verâ aliquis eorum non in omnibus veritatem plenè sit assecutus, seipsum ipse corrigat: sin minùs, universa eum corrigat Ecclesia. Semel autem ab eâ approbatos, suspectos habere: aut nostrum Doctorem Delphicũ, vel alium quemvis particularem, suum ipsis præferre judicium, stultum planè & arrogantis animi facinus arbitramur. Et numquid suum illis judicium anteponit, qui se illorum judicem & censorem propriâ, ac privatâ auctoritate, teme-

temerario auſu conſtituit, eorum doctri-
nam ignorantiæ aut falſitatis arguendo,
quàm antiquitas ut Sanctam venerata eſt:
quàm Eccleſię univerſitas,ut certam com-
plexa eſt ? Nos ſummâ cum devotione ac
animi demiſſione Sanctorum Patrum li-
bros, prout ab Eccleſiâ approbati ſunt,
perlegimus, amplectimur & veneramur:
tanquàm eos qui mentes noſtras illumi-
nant, & quaſi manuducunt ad divina my-
ſteria æternaſque veritates, quæ in ſacris
paginis latent,intelligendas. Nequè prop-
tereà allegatis Joannis & Petri teſtimoniis
ullatenùs contravenimus. Admonent
Scripturas ſcrutari, prophetico ſermoni
attendere. Hoc facimus, illud non omitti-
mus. Scrutamur, attendimus. Verùm-
tamen dùm in his cæcutimus, ad Sacro-
rum Doctorum ſcripta recurrimus, non
tanquàm ad canonem, aut fidei regulam;
ſed tanqàm ad adminicula, quibus ad Sa-
cram Scripturam clariùs intelligendam,
promovemur. Et hoc inter cæteros po-
tiſſimum nobis præſtat Auguſtinus, cujus
doctrinam propter retractationum libros
irreverenter ſugillat hic tenebrio. Eò ni-
mirum

mirum impudentiæ devenit, ut eam quasi suspectam rejiciat, quàm universa Dei Ecclesia ideò vel maximè suscipit, ac suspicit: quàm nec Hæretici alii, nec eorum antesignanus Calvinus, licèt polluto ore, & caninâ rabie cæteros Patres insectetur, despiciunt. Quin imò tantò eam dignatur honore, ut lib. 1. Institutionum pag. 849. cap. de cœnâ Domini, dicere non dubitaverit: *Audiamus Augustinum, quem unum habemus Ecclesiæ fidelissimum vetustatis interpretem.* Ità cælestis ille splendor, noctuæ hujus oculis obvolitans, etiam mediâ errorum nocte, aliquo usquè secerni potuit, & vel ab invito testimonium veritatis extorsit.

MOTIVVM II.

SI Sanctorum Patrum scripta cum sacris literis conferantur, inveniri gravitèr à viâ veritatis aberrasse. Rejicienda tamen absolutè non esse, cùm non sint in omnibus vitiosa; sed nequè prorsus admittenda, tanquàm infallibilia Fidei & veritatis testimonia, cùm veritas Dei hominum testimoniis non indigeat.

D RES-

RESPONDETVR.

Et docetur quid valeant SS. Patrum testimonia in rebus Fidei.

VBi Sanctorum Patrum & Doctorum scripta, à quibusdam propositionibus, in quibus fortasse aliqui eorum humanitùs erraverunt, universali Dei Ecclesię consensu purgata fuerint, inoffenso pede percurruntur. Quod etiam in ipsis suis primordiis Ecclesia semper præstitit, ut nunc quælibèt Hæreticorum censura, etiàm Consistorii Delphici, superveniens, seriùs incidat, auctoritate careat. Quinimò, judicio destituitur, qui mavult judicium proprium (ut tu mavis) judicio universali præferre, ac dicere impudenter, ut tu implicitè dicis: hic locus Augustini v. g. omnium antiquorum judicio veritati consonat: meo dissonat, & emendandus est. Tu ita censè dùm vis: nos Sanctis Patribus acquiescimus, atquè eorum dicta à personis privatis corrigi nefas putamus.

Non

Non quod existimemus veritatem Dei hominum testimoniis indigere, ut in se vera sit & constans, cùm teste Psalmista Psalm. 116. 2. *Maneat in æternum*: requirit tamen ea, ut hominibus proponatur pura & puta, sicùt credenda est, & intelligenda. Ita nempè Deus voluit, ut quemadmodum inferiores Angeli, ut Areopagita nos docet cap. 8. & 15. Cælestis Hierarchiæ, à Superioribus ordine Hierarchico servato addiscunt, & illuminantur: sic & homines, præsertim ignari, instruantur, & ad cognitionem veritatis deducantur per eos, quos Deus *dedit Ecclesiæ, Pastores & Doctores ad consummationem Sanctorum in opus ministerii.* Ephes. 4. 11. Hunc à Deo præscriptum ordinem pervertit, quisquis neglecto Ecclesiæ, ac Sanctorum Patrum judicio, suo particulari credit & confidit. Ridiculum profectò est, unius Calvini, Lutheri, Zuvinglii, Oecolampadii, Bezæ, Gommari, Armeni, imò fabri alicujus, vilis lanionis, nautæ, & quod dicere pudet, unius mulierculæ, vix sibi in ullo constantium, & aliorum similium, qui tamquàm fœces Christianissimi,

mi, anathemate projecti sunt ab Ecclesiâ Dei in sterquilinium infidelitatis, opiniones difformes, multiformes, novellas anteponere, conformi, uniformi, antiquæ, à tot sæculis probatæ, & approbatæ doctrinæ SS. Augustini, Ambrosii, Gregorii, Hieronymi, Basilii, Chrisostomi utriusque Cirilli, Thomæ Aquinatis. In cujus unius scriptis, velùt Catholïcæ Fidei firmamento, omnium tàm Græcorum, quàm Latinorum Patrum intellectus potissimum effulget. Dic mihi, vir Delphice, quis Sacræ paginæ infallibilem veritatem propiùs assequitur, & pluris facit? an qui eam à tantorum virorum, & universalis Ecclesiæ testimoniis? an qui eam è suo unius cerebello haustam cupit? Veritas Dei sicùt ęterna, ita & una est. Ego e.g. bonorum operũ necessitatem adstruo, tu destruis: uterquè pro se Scripturam allegat. Alter nostrûm necessariò veritati æternæ conformatur, alter ab eâ recędit. Ex duabus enim contradictoriis altera necessariò vera est, altera falsa secundùm Philosophum. Quis hic fallitur? an ego cum Patribus, an tu cum tuo particulari judi-

judicio? Judicet hic æquus rerum æstimator.

MOTIVVM III.

EX *indè in contemptu SS. Patrum persistens, allegat hæc loca Scripturæ. Ezechielis* 20. 18. *&* 19. Dixi autem ad filios eorum in solitudine: in præceptis Patrum vestrorum nolite incedere, nec judicia eorum custodiatis, nec in idolis eorum polluamini. Ego Dominus Deus vester; in præceptis meis ambulate; judicia mea custodite, & facite ea. *Et Math.* 23. 10. Nec vocemini magistri, quia magister vester unus est CHRISTVS. *Et Ioan.* 10. 27. Oves meæ *scilicèt* CHRISTI, vocem meam audiunt. *Ex quibus concludit eos, qui aliter docent, quàm docuit* CHRISTVS, *non esse Doctores, sed Seductores; non Pastores, sed impostores.*

RESPONDETVR

Sanctorum Patrum magisterium, quod Sectarii abnuunt, vendicando.

VErum est consequens, licèt ex præmissis malè intellectis, & perperam

applicatis deductum. Quis quæso aliter docet, quàm docuit CHRISTVS? SS. Patres, an Calviniſtę? Ego Calviniſtas, ut alienos à CHRITO in ſimulo, tu Patres: & videris probare velle per illud Ezechiel. *In præceptis Patrum veſtrorum &c.* Ad ſcripturam appellaſti, ad ſcripturam ibimus. Paulò ſuperiùs in cap. citato Ezech. repete: & facilè advertes, ibidem Prophetę voce Spiritum Sanctum non loqui de SS. Patribus & Eccleſię Doctoribus, qui verbo & exemplo CHRISTVM Dominum ſunt ſecuti: ſed de Patribus Judæorum, qui multoties pòſt egreſſum ex Ægypto, Deum ſuum, fontem aquę vivæ dereliquerunt, fodientes ſibi ciſternas diſſipatas. Subdo verba textus Ezech. 20. 16. *Iudicia mea projecerunt, & in præceptis meis non ambulaverunt, & Sabbatha mea violaverunt: pòſt idola enim cor eorũ gradiebatur.* Et quis opera illa mortis poſteris imitanda proponeret, quę nedùm legibus humanis, quin & divinis & naturę contraveniunt? Aliter ubi de operibus malis apud Prophetas; aliter ubi de bonis agitur, eſt ſermo. Hinc Iſaïę 51. 2. *Attendite ad Abrahàm Patrem veſtrum &c.* Imò etiàm cùm de ſa-

de ſanâ doctrinâ eorum, quos conſtituit Eccleſiam ſuam regere, quàmvis fortè aliud verbo, aliud exemplo doceant, non ita CHRISTVS, ut Calviniſtæ ſentiunt, Math. 23.2. *Super Cathedram Moyſis*, inquit, *ſederunt Scribæ & Phariſæi. Omnia ergò quæcumque dixerunt vobis ſervate & facite: ſecundùm verò opera eorum* (ea nempè quæ exprobravit Ezechiel, & his ſimilia) *nolite facere*. Sanctis Patribus & Doctoribus nihil hujuſmodi objici poteſt. Si eorum vitam inſpiciamus, ſanctiſſima fuit: ſi doctrinam, ſaniſſima, univerſali Eccleſiæ conſenſu receptiſſima. Hos ſi carpas, Deum ipſum inceſſis, qui tales Eccleſiæ ſuæ *dedit Paſtores, & Doctores, & Magiſtros*, Epheſ.4.11. Superaddis: *Magiſter unus eſt Chriſtus*. Conaris inferre: ergò ipſi non fuerunt Magiſtri. Simili argumento probem te non eſſe Patrem filiorum tuorum, ſi quos habes. CHRISTVS Math. 23.9. *Patrem*, inquit, *nolite vocare vobis ſuper terram, unus eſt enim Pater veſter, qui in Cælis eſt*. Ergò &c. Profectò ſecundùm te malè locutus eſt Iſaac Geneſ. 22.7. *Pater mi, ubi eſt victima &c.* Malè loquuta B. Virgo

Luc. 2. 48. *Ecce Pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Peccavit CHRISTVS non corripiendo inordinatum modum loquendi? Malè loquutus est Joan. 6. 49. *Patres vestri manducaverunt manna? &c.* Verus igitùr Scripturæ sensus est, ut quemadmodum Deus antonomasticè, & longè excellentiori modo, imò in perfectione creaturis incommunicabili; Pater est æternus. Ita Patres vocari super terram prohibet. Admittit tamen homines ex quâdam participatione & analogicè Patres à filiis vocari. Itàque quàmvis *Magister unus est Christus*, tàm perfectus videlicèt, ut nemo ad ejus magisterii perfectionem, nè quidèm remotè possit accedere; cùm ipse venerit plenus gratiâ & veritate. Verumtamen non excluduntur, nequè hoc nomine privantur alii ipsius Vicarii & substituti, qui de ejus plenitudine lumen, & gratiam receperunt: nisi Paulum erroris accuses qui *Pastores & Doctores* in Ecclesiâ admitti vult, ut suprà. Sanè cùm idem Redemptor noster seipsum lucis nomine indigetavit, Joan. 8. 12. *Ego sum lux mundi*, omninò verum dixit; quoniàm *erat lux*

vera,

vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Joan. 1. 9. & comparatione, ad eum facta, ipſe quo *major non ſurrexit inter natos mulierum* Math. 11. 11. *non erat ille lux*, ipſomet Joanne aſſerente, Joan. 1. 8. *Sed ut teſtimonium perhiberet de lumine.* Et nunquid falsò & adulatoriè diſcipulos ſuos eodem titulo CHRISTVS cohoneſtauit, Math. 5. 14. *Vos eſtis lux mundi?* an fortè eamdem lucis excellentiam in ſe & diſcipulis ſuis demonſtratam voluit? minimè. Ipſe erat ergò lux vera, quæ illuminabat à ſeipſo: illi etiàm lux vera, ſed mutuato ab ipſo lumine. Simili modo SS. Patres, ſi comparationem cum Chriſto ineamus, tantum fuerunt diſcipuli: ſi ab illâ comparatione recedamus verè fuerunt magiſtri à Domino conſtituti, ad edocendam plebem, aut Scripturarum myſteria explicanda, aut quæ ipſæ ſilentio prætergreſſæ reliquerunt, Doctorum ore poſteris tradenda. Magiſtri quidem & Doctores, quibus dictum ſit Math. 28. 19. *Euntes ergò docete omnes gentes.* Quos qui audit, vocem Chriſti audit, quia voce Chriſti loquuntur, non propriâ ſicùt Calviniſtæ.

MOTIVVM IIII.

Sanctis Patribus non opus esse tanquàm Doctoribus & Magistris, convincitur testimonio Pauli 2. *Timot.* 3. 16. Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitiâ; ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. *Vndè etiàm concludit non solum utilem esse, sed & sufficientem Scripturam ad instruendum nos in omnibus, quæ ad salutem æternam spectant. Blasphemare Ecclesiæ Romanæ Doctores, cum eam accusant de insufficientiâ, & traditiones necessarias asserunt.*

RESPONDETVR.

Traditionum Ecclesiasticarum auctoritatem astruendo.

ERgò & blasphemavit Paulus, qui Scripturam utilem tantum dixit, ubi æquè facilè dixisset sufficientem: aut certè aliud doces Doctor Delphice, aliud Paulus. Ipse eam dicit utilem, tu sufficientem.

Sed

Sed & hoc esto. Liberaliter agere tecum decrevi. Sufficiens sit ipsa Sacra Scriptura, ut ad vitæ perfectionem quemlibèt perducere possit: dummodò tamen pollicearis, te præcepta ipsius in omnibus fideliter impleturum, & ab ejus doctrinâ nullatenùs recessurum. Propono illud Deutero: 17. 8. *Si difficilè & ambiguum apud te judicium esse perspexeris &c.* & 9. *Surge & ascende ad locum &c. Venieşq; ad Sacerdotes Levitici generis, & judicem, qui fuerit illo tempore: quæreşq; ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem.* Lege & illud Malachiæ 2. 7. *Labia enim Sacerdotis custodient scientiam & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est:* & ex his & diversis aliis locis, quæ posteà referam, colliges in veteri testamento, insurgentibus dubiis & difficultatibus, tùm circà res Fidei, tùm alias quaslibet, ad Synagogę Prælatos recurrendum fuisse. Concordat etiam Evangelium Luc. 10. 16. *Qui vos audit me audit, & qui vos spernit me spernit.* Sic discipulos suos ipsa veritas alloquitur, & in ipsis universos Ecclesiæ suæ Pastores, & eorum successores. Et Paulus

ad Heb.

ad Heb. 13. 17. *Obedite Præpositis vestris & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Quàm rectè obediunt Evangelio Sectarii, quando SS. Patres, Doctores, & Ecclesiæ Pastores impudenter rejiciunt, & in ipsis ipsum Christum Ducem ac Magistrum? An Christum audiunt, qui Vicariis ejus non obaudiunt? Generatio prava *confregisti jugum*, ut ille apud Jerem. 2. 20. *rupisti vincula, & dixisti non serviam*, non obediam. Et non solum non obeditis, sed ipsum Evangelium obtruncatis, & contemnitis. Audite Paulum 2. ad Thes. 2. 14. *Itàque Fratres state, & tenete traditiones quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Etiamnùm non pudet asserere supervacaneas esse traditiones, quas Paulus tenendas esse jubet, quas passim Scriptura tàm serio commendat. Deuter. 32. 7. *Interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi, majores tuos & dicent tibi.* Et Jerem. 6. 16. *Interrogate de semitis antiquis.* Et Exodi 13. 8. *Narrabis filio tuo in die illo dicens: hoc est, quod fecit mihi Dominus.* Et Job 8. 8. *Interroga enim generationem pristinam,*

nam, & diligenter investiga Patrum memoriam, & Jud. 6. 13. *Vbi sunt mirabilia, quæ narraverunt Patres nostri*, & Psal. 43. 1. *Deus auribus nostris audivimus, Patres nostri annuntiaverunt nobis, opus quod operatus es.* & Psal. 77. 6. *Quanta mandavit Patribus nostris notæ facere ea filiis suis, ut cognoscat generatio altera. Filii qui nascentur & exurgent, & narrabunt filiis suis.* Quid clariùs dici potuisset? quomodo Traditiones disertiùs commendari? imò quâ ratione expressiùs explicare aut declarare potuisset Spiritus Sanctus modum, rationem, & praxim, per quam Traditiones in Ecclesiâ Sanctâ Catholicâ invexit. Quanta enim & quàm multa mandavit Patribus nostris Apostolis, nota facere filiis suis, seu successoribus immediatis; ut per illos filios cognoscat generatio altera, & de filiis in nepotes, & de nepotibus in eorum pronepotes aut discipulos, & sic deinceps continuâ temporum successione deriventur, ea omnia, quæ Apostoli cæterique Patres nostri, non scripto tantùm, sed etiàm verbo tenus *narrauerunt filiis suis*: quæ filii non solum oculis legerunt, sed etiam quæ

à Pa-

à Patribus ſuis annunciata, *auribus ſuis audiverunt.* Quàm igitùr cavendum eſt ab his qui ab hujuſmodi Patribus narrata, auribus ſuis audire nolunt, niſi eadem oculis ſuis legerint. Ita planè cavendum eſt: nàm & hoc nos admonet idem Spiritus Sanctus. Eccleſ. 8. 11. *Non te prætereat generatio ſeniorum, ipſi enim didicerunt à Patribus ſuis, quoniam ab ipſis diſces intellectum &c.* Hæc inter cætera propè infinita Scripturæ loca, quibus ſolidiſſimè & luculentiſſimè Eccleſiaſticæ Traditiones aſtruuntur, ſufficiant. Conabitur ea fortaſſe ſciolus aliquis Sectarius pro more ſuo eludere: didiciſſe Judæos à Patribus ſuis illa dumtaxat, quæ jàm Moyſes divino numine afflatus, ſcripta reliquerat. Verùm abſquè fundamento hæc aſſereret. Imò contrarium liquidò patet: nàm nec in Exodo, nec in aliis libris Moyſis reperiet, quod inter plagas, quas perſenſerunt Ægyptii, in liberatione populi Iſraëlitici, poſſeſſiones eorum fuerint igne conſumptæ: verùmtamen inter ea quæ David profitetur ſe à Patribus excepiſſe, Pſal. 77. 48. *Et tradidit grandini jumenta eorum, &*

possessionem eorum igni, in terminis exprimitur. Et in novo Testamento, Apostolus qui traditiones in tantùm commendavit, exemplo eas confirmatas reliquit, Actor. 20. 35. *Oportet*, inquit, *suscipere infirmos, ac meminisse verbi Domini* JESV. *Quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare quàm accipere.* In quo Evangelio scriptum est, quod Christus Dominus hanc sententiam sacro ore protulerit? Non invenies. Paulus igitùr hæc verba Christi non ex scripturâ, sed ex traditione Ephesiis credenda proposuit. Ecce habes aliquid traditum, quod non erat scriptum. Crede igitùr Scripturæ Traditiones approbanti, & desine eas improbare. Tu eam sufficientem verbo asseris, facto mutilas, ubi seniorum Traditiones, quas amplectitur, non admittis. Nos Catholici, veræ Ecclesiæ Dei filii, sic mutilam de insufficientiâ increpamus: integram verò sufficientem sustinemus, quandoquidem Dominus Deus pleniſſimè nobis omnia media, quibus ad vitam Christianam, & perfectionem Evangelicam, ac demùm ad æternam fœlicitatem perducamur, proposuit. Ex

quibus

quibus illa non infima ſunt, ut Præpoſitis noſtris ſubjaceamus, Traditionibus acquieſcamus &c. quæ procùl dubio fruſtrà nobis à Spiritu Sancto præcepta fuiſſent, ſi media neceſſaria non eſſent, ad Eccleſiam Dei rectè inſtituendam, & plenè formandam, aut ſi nudum Dei verbum ſcriptum abſquè Traditionibus pro omni rerum, temporum, & locorum differentiâ ſufficeret. Profectò verbo Dei injuriùs es, quiſquis illud ad paucas illas, quas ex divinis literis habemus paginas, reſtringis, quod teſte Evangeliſtarum Aquila Joanne c. 21. 25. ſui Evangelii, mundus quaquâ parte patet, capere non poſſet, *Sunt* inquit *& alia multa, quæ fecit* JESVS, *quæ ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum arbitror mundum capere poſſe, eos qui ſcribendi ſunt libros.* Certùm quippè eſt, quod Chriſtus Dominus, dùm inter nos viſibilis degeret, nihil ſacro ore protulerit, aut facto probaverit, quod ad noſtram doctrinam & ædificationem, factum, dictumque non fuerit. Vndè ergò tàm multa (ſi Evangeliſtæ credimus) Scriptores Sacri ſilentio præterierunt? haud dubiè ideò, ut Doctori-

doribus atque Prælatis multa tradenda, docendaque relinquerentur. Nec eâ de causâ insufficiens dicenda erit Scriptura, cùm illud ipsum digito monstret: *Traditiones tenete. Obedite Præpositis vestris. Qui vos audit, me audit.* Imò tu ipse (tàm sibi inconstans est hæresis) in multis, quæ ab Ecclesiâ Dei vel invitus recepisti, invitus quoque Traditiones admittis. Vbi enim scriptum est, quod dies Dominica loco sabbathi sit observanda? Vnde tibi ex Scripturis constat, ipsa quatuor Evangelia esse canonica; multa verò alia quæ in primordiis nascentis Ecclesiæ circumferebantur, esse apocrypha? maneat igitùr vendicatum illud Pastorum atque Doctorum munus, docendi videlicèt & tradendi ea, quæ à Christo & Apostolis docenda ac tradenda exceperunt.

MOTIVVM V.

REjicit munus Interpretum, eò quod Sacræ Literæ non sint obscuræ, motus argumento, Psal. 118. 105. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.

Concludit, ad adipiſcendum verum & legitimum earum ſenſum, non opus eſſe interprete.

RESPONDETVR.

Quomodo Eccleſiæ Paſtoribus, ac Doctoribus S. Scripturæ interpretationem Deus reliquerit, liquidò demonſtrando.

HIc mendacem reddis Apoſtolorum Principem Petrum epiſt. 2. c. 3. 16. dicentem, quod in epiſtolis Pauli *ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles* (quales vos eſtis) *depravant, ſicùt & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem.* Vel certè alter veſtrûm mendax eſt: aut tu qui genuinum Scripturæ ſenſum cuilibet obvium, & clarum aſſeris: aut Petrus & in eo Spiritus Sanctus, qui in quibuſdam difficilem intellectu pronuntiat. Perpende tantiſper, quis Scripturas depravat difficiles intellectu: an nos qui Doctis & Sanctis Patribus earum interpretationem relinquimus, an vos, qui indoctis quibuſque & infimę ſortis homunculis, &, quod puden-

pudendum eſt, etiàm mulierculis? Audi Apoſtolum increpãtem *Quæ indocti depravant.* Nos Fidei puritatem, prout à Patribus noſtris accepimus, intactam & illibatam à tot ſæculis intrepidè retinemus. Vos velùt *nubes ſine aquâ*, proprii judicii vento circumferimini, in tot ſectas quot capita diviſi: *Quæ inſtabiles depravant.* quid depravant? Epiſtolas Pauli, & cæteras Sacras Scripturas intellectu difficiles. Plus dico, claras & faciles corrumpunt, & ut cum Apoſtolo Judâ loquar v. 10. *Quæcumque quidèm ignorant, blaſphemant, quæcumque autem naturaliter, tanquàm muta animalia norunt, in his corrumpuntur.* Etenim expreſſiſſima Scripturę teſtimonia, de operum meritoriorum neceſſitate, de dignis pœnitentię fructibus, de reali Servatoris noſtri præſentiâ in Sacroſancto Euchariſtię Sacramento, & multa denique alia ad ſuam ipſorum, & aliorum perniciem detorquent. Juſto Dei judicio factum eſt, ut qui aures audiendi habuerunt; & audire detrectarûnt, clara nempè & aperta intelligere; in obſcurioribus penitùs cœcutiant, & auditu audiant, non intelligant.

Quod si clara sint omnia, & omnibus aperta quæcumque in Bibliis scripta sunt, cur Redemptor noster ad turbas vix aliter, quàm in parabolis locutus est? *Hæc omnia*, ait Math. 13. 34. *locutus est* JESVS *in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis.* Dimissis autem turbis, Discipulis suis parabolas planè difficiles, quas nec ipsi intellexerant, edisserebat. Interrogantibus Discipulis Math. itidem 13. 11. *Quare in parabolis loqueris eis? Qui respondens ait illis, quia vobis datum est nosce mysteria Regni Cælorum: illis autem non est datum.* Inter turbas plurimi crediderunt in Christum; nec eum omnes sequebantur, ut tentarent, sicùt Pharisæi; sed desiderio vitæ plurimi. Attamen in parabolis loquebatur ad eos, Discipulis verò clarè. Vndè hoc? nisi quia voluit in Scripturis quædam esse subobscura, in quibus indocti à Doctoribus, oves à Pastoribus, plebeii à suis præpositis edocerentur: atquè eâ ratione hierarchicus ille ordo, à constitutione Ecclesiæ apprimè servatus, institueretur. Cùm negari non possit, multa esse parabolica & obscura, quæ interpretatione indigeant: lucerna

cerna quidem est verbum Dei, & lumen *ad dirigendos pedes nostros in viam pacis*, iis præsertim qui simplici ac depurato mentis oculo ad illud accedunt; vespertilionibus perindè tenebræ, papilionibus incautis ignis est comburens, *Scrutator* enim *Majestatis opprimetur à gloriâ*, Proverb. 25. 27. Dices, Scripturę sensum per seipsum innotescere, sive uno sive alio loco. Quod si ita est, cur inter vos tot dissensiones, tot divisiones, tot sectę, quibus vestem inconsutilem Christi, utpotè Ecclesiam, dilaceratis, eamque infinitis falsis dogmatibus confunditis? ideo sine dubio, quod indocti & instabiles, debili vestro judicio adhærentes, illud lumen perperam respuitis; rejectis doctis & stabilibus Sacræ Scripturæ interpretationibus, quas Sancti Patres & Ecclesię Doctores in œcumenicis Consilijs unanimi consensu diversis sæculis tradiderunt. Forsitan argues, non fuisse in Spiritu Sancto legitimè congregatos: seductores potiùs & impostores dicendos, quàm Doctores & Pastores: adeòque nec verum Scripturę sensum fuisse assecutos. Hæc dicis, sed

non probas. Incumbit tamen tibi, tuiſq́; novellis hâc in causâ actoribus, probandi onus, ſi tibi, tuiſque, ab æquis rerum æſtimatoribus fidem haberi deſideras: contrà eos etenim agis, qui horum titulorum ac jurium à mille ſexcentis & amplius annis poſſeſſionem continuatam ſunt aſſecùti. Atque hæc quàm iniquè & perversè, abſque ullâ veritatis, aut rationis, umbrâ dixeris, inextinguibile Sectarionum odium, quo in Eccleſiam Dei effervescunt, ſatis ſuperque demonſtrat. Eſtis enim (ſicùt ab initio fuiſtis) blaſphemi in Deum & Superos, velùt filii Agar ſemen maledictum, qui benedictam progeniem Iſaac continuò perſequuntur.

MOTIVVM VI.

PRoſequitur Evangelium Chriſti regulam eſſe Fidei: ſicuti lex Dei ſola eſt regula obedientiæ. Nihil quod ſcriptum non ſit in Sacris & Canonicis libris eſſe admittendum. Cæteras doctrinas, tanquàm merè hominum execrandas eſſe, & deteſtandas: utpotè anathematis fulmine ab Apoſtolo percuſſas, ad Gal. 1.8.&9.

Sed

Sed licet nos, aut Angelus è Cælo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterùm dico: ſi quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepiſtis, anathema ſit.

RESPONDETVR.

Traditionum auctoritatem iterùm impetitam rurſus confirmando.

AD hæc abundè ſuperiùs reſponſum puto, ubi diximus ſolum verbum Dei eſſe regulam Fidei: verùm non omne ſcriptum, at aliquod prætereà eſſe traditum. Quiſquis itàque Apoſtolicæ doctrinę & Evangelicæ contravenit, etiàm de voto meo anathema ſit. Sed in hujuſmodi ſcopulos nullus Catholicorum impingit: capiti tuo fulmen illud imminet; veriùs dicam, jàm pridèm evibratum eſt. Contrariam Paulo doctrinam evangelizaſti, Traditiones non eſſe tenendas, cùm ille prædicet: *Tenete traditiones*, 2. ad Theſſ. 2. 14. Denique, dic quęſo, ſive par-

ticula illa (pręter) dicat habitudinem contrarietatis directę, sive disparatę; quid illo Scripturę loco contrà Traditiones probas? Nequè enim solo scripto evangelizavit, seu prędicavit Christus, Paulus, & alii Apostoli. Verùm etiàm plurimùm verbo tenus: nequè illa omnia scripto tradita, nisi expresso divi Joannis Evangelistę testimonio c. 21. 25. superiùs citato, fatearis te ex asse contrariari. *Sunt & alia multa*, inquit, *quæ fecit* JESVS *quæ si scribantur, &c.* Nequè scripto omnia tradiderat Paulus, quæ ab eo acceperant Galatæ: *Tenete*, inquit, *Traditiones vestras, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam*, 2. ad Thess. 2. 14. Vndè ille Pauli locus ad Gal. 1. 9. inclarescit: *Si quis vobis evangelizaverit, præter id quod accepistis*, per sermonem videlicèt, sive per epistolam, *anathema sit.* Cùm igitùr Catholici Traditiones prędicant, nihil pręter id quod Christus evangelizavit, vel Apostoli, evangelizant: sed illud ipsum dumtaxat, quod Patres nostri ab ipsorum ore receperunt, posteris suis, consentiente, & approbante Ecclesiâ tradiderunt: quod & ad nos usquè per Tra-

ditio

ditionem derivatum, rectè credendum proponitur, tanquàm ab ipso Domino acceptum, & ab Apostolis, eorumque Successoribus evangelizatum. Hæc si inspexisses, non tàm impertinenter ea, quæ sequuntur improperares.

MOTIVVM. VII.

QVod *Eckius loc. comm. c. 3. asseruerit, ipsammet* Scripturam Sacram nullâ ratione esse authenticam, sine auctoritate Ecclesiæ. Ecclesiam esse antiquiorem Sacrâ Scripturâ. Hanc autem esse regulam plumbeam, aut nasum cereum, qui ad quamlibet partem flectitur. Esse velùt fabulam Æsopi, si Ecclesiæ ei desit auctoritas. Esse causam Hęresum; ac propterea Laicis ejus lectionem esse prohibendam. *Quod Tridentinum (ut impiè calumniatur) conciliabulum, æqualem tribuat Traditionibus ac Scripturæ auctoritatem & reverentiam: Non secus ac si forent veræ Fidei fundamentum, sine quo pondus & auctoritas Scripturæ evanescit. Has propositiones, multiplici censurâ notatas, rejicit ut blasphemas, insolentes, & verbo divino*

vino detractorias, quod illud quasi ab hominum voluntate dependere faciat. Iactare quidèm Religionis speciem: re verâ tamen magis creaturæ, quàm Creatori famulari, magis gloriæ hominum quàm honori divino intendere. Hanc vel unicam causam sibi sufficere, ut Religionem Romanam detestetur, &c.

RESPONDETVR.

Scripturæ, Traditionum, & Ecclesiæ dignitates conferendo. Quibus Scriptura sit regula plumbea; & cur plebeiis non ita facilè permittatur?

EGo verò ob eam rationem vel maximè, Romanam Ecclesiam verè Catholicam & Apostolicam amplector, & veneror; quod ipsâ Scripturâ sit antiquior: quod per ipsam Scriptura nobis sit authentica & canonica: quod Traditiones Scripturę conjungat. Per hoc enim, quo ad nos, inæstimabilis verbo Dei conferatur dignitas, ejus honor & gloria mirum in modum ampliatur, & quod eo amplius est,

us eſt, Fidei noſtrę certitudo mirificè ſtabilitur. Hęc ut magis innoteſcant, dic obſecro, quicumque ſolis ac nudis Scripturis inniteris, vndè habes illas ipſas eſſe canonicas? an à Traditione? illam reſpuis. An à Sanctis Patribus? illos contemnis ut lubèt. An ab Eccleſiâ Catholicâ & Romanâ? illam non audis. An à Lutheranâ vel Calviniſticâ? ſi ais; inquiro, à quo habuit illa antè centum circiter annos, cùm nondùm hæreſes iſtæ eſſent exortæ? Certè hîc Romanæ Eccleſiæ aut Patribus, aut Traditionibus honorem illum deferes: aut ſi nolis, valdè infirma & caduca eſt Fides tua. Recurres ad particularem ſpiritum tuum. Quid eò inſolentiùs? judicio tuo, verbo Dei injurius eſt, detractor tantæ majeſtatis habendus, qui judicium illud, *Scripturane ſit authentica* Catholicæ, & RomanæEccleſiæ Conciliiſq́; œcumenicis relinquit: quantò magis, qui auctoritate propriâ, unius homunculi nutu, Scripturam facit authenticam, ex libris canonicis quos lubet aut rejiciens aut admittens, ejus honori injurius detrahit. In causâ gravi, unius advocati judicio

non

non ſtatur, copioſior Juriſprudentium numerus adhibetur. In morbo periculoſo, unico medico non contentus, quoſcumque potes advocas expertiſſimos. In rebus tùm politicis tùm bellicis Reſpublica Venetorum & Provincię rebelles pluralitatem Senatorum adhibent. Tu verò in re longè graviſſimâ diſcernendâ, Quænam ſit vera, Canonica & authentica Scriptura, Spiritui tuo particulari ſtare non erubeſcis? & quod ferendum non eſt, tibi ſoli arrogas, quod univerſali Eccleſiæ, quod Sapientiſſimorum, juxtà ac Sanctiſſimorum virorum conſilio, & unanimi omnium conſenſui concedere, blaſphemum & inſolens reputaſti. Acquieſce igitùr, per ſalutem animæ tuæ precor, Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, Catholicæ & Apoſtolicę, quæ in omnibus ſæculis multorum, eorumque celeberrimorum virorum ſanctitate & doctrinâ refulſit. Acquieſce inquam, communi judicio, non ita proprio. Acquieſce Paſtoribus, ad quos hæc Chriſti promiſſio, nullâ unquàm injuriâ temporum interrumpenda, *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus, uſquè ad conſummatio-*

mationem ſæculi, Math. 28. 20. Illa enim tàm aſſecurata promiſſio, privatis hominibus facta non eſt; ſed Apoſtolis & Eccleſiæ Paſtoribus, præſertim in nomine Domini uno in loco adunatis. Et ſuper hoc audi Sapientiſſimum Auguſtinum de quantit. animæ c. 7. tom. 1. ejuſque conſilio vel aliquando acquieſce: *Auctoritati credere, magnum compendium eſt, & nullus labor.*

Porrò quod tibi novum videtur, cùm dicitur Eccleſiam Sacris Literis eſſe antiquiorem. Si de veteri Teſtamento ſermo eſt, pluribus ſæculis Abel juſtus Moyſen Agiographorum primum anteceſſit. Si de novo, Eccleſia jàm erat, antequàm Mathæus primus inter Evangeliſtas, Evangelium conſcriberet: prior erat Eccleſia, quàm cæteri omnes Evangeliſtæ, ac Apoſtoli ſuas tùm Epiſtolas, tùm Evangelia evulgarent. Joannes viginti circiter annis à Paſſione Chriſti Evangelium ſcripſit: tempore intermedio jàm erat Eccleſia. Quod itàque ſit illud inconveniens, quod Eccleſia Scripturis ætate ſit prior, quod antiquior? Vndè mirum videri non debet,

bet, quod ab eâ auctoritatem Scriptura trahat, cùm ipſa ſit, quę Mathæi, Marci, Lucę, & Joannis Evangelia, quibuſdam Apocryphis, ut Petri, Thomę, Nazareorum, & ejuſmodi rejectis, auctoritate ſuâ ſtabilivit. Ita clarè fatetur Auguſt. contrà epiſt. Manichęo, c. 5. tom. 6. *Ego verò*, inquit, *Evangelio non crederem, niſi me Catholicæ Eccleſiæ commoveret auctoritas.* Blaſphemum deindè cenſes, ſi Scriptura dicatur velùt regula plumbea, aut naſus cereus. Et ita profectò eſt, experientiâ teſte, in vobis, qui pro libitu eam exponitis, & quocumque fert libidò detorquetis. Nec deeſt, qui numerarît iſtorum verborum, *hoc eſt corpus meum*, plures centum, toto Cœlo diſtinctas, novas, paucis ab hinc annis effictas à veſtris expoſitiones. Quæ regula plumbea, aut quis naſus cereus tàm verſatilis ſit? ſolis tamen Sectariis plumbea, aut cerea eſt: Catholicis inconcuſſa, ære firmior, nullâ novatorum arte labefectanda, plenè ſtabilis. Ab ipſis Eccleſiæ primordiis unicâ expoſitione; eâdemque ad literam, quiſquis Catholicus fuit, ad hæc uſquè tempora propoſitionem

tionem allatam explicuit. Quare ſi Sacræ Literæ cauſa ſunt, vel occaſio potiùs errorum, nequàquam id illis vitio vertendum eſt: ſed illis potiſſimum imputandum, qui illarum ſpecie potiùs abutuntur, quàm utuntur. Duo namque maximè earum lectori conſideranda ſunt, litera quæ plerumque occidit; deindè Spiritus, ſeu verus Eccleſiæ ſenſus, qui vivificat. Vulgus indoctum literæ ac verborum cortici ut plurimùm inhærens, myſteria ignorat penetrare, & occiditur: Eccleſia Spiritum ſcrutatur, & vivificatur. Id Auguſtinus agnoſcens præ dolore exclamavit tom. 10. ſerm. 70. de Temp. *Infælices Iudæi, & plus infælices hæretici, qui dùm ſolum literæ aſpiciunt ſonum, quaſi corpus ſine animâ, ita ſine vivificante Spiritu mortui remanſerunt.* Vt interim paulò hæc ampliùs inclareſcant, addo, quod poſito illo Calviniſtarum fundamento, videlicèt quod rejectis Traditionibus, Eccleſiæ, & Sanctorum Patrum legitimis interpretationibus, particulari ſpiritu Scriptura ſit intelligenda, vix ulla eſt, aut fuit unquàm hęreſis, quę defendi & propugnari non poſſit.

possit. Gratis non assero, rem digito demonstro. Sit exemplum: Tu cum Sabellianis somnias Patrem & Filium & Spiritum Sanctum non esse tres personas distinctas, sed diversas in Deo denominationes, secundùm diversos respectus; multò faciliùs defendes, quàm dùm negas realem Corporis Christi in Eucharistiâ præsentiam. Dices enim, hoc nomen, Persona, non esse ex Scripturis sumptum, hoc tibi dogma à Spiritu particulari dictari, Ecclesiam & Sanctos Patres, quidquid dicant contrarium, non esse audiendos. Hâc viâ etiàm quilibet sui cerebri homuncio, tui similium more, quosvis turpissimos errores propugnaverit. Neque miror deinceps, quod in tot horrendas hæreses, imò non in multo graviores, illo fundamento strato, incideris. In Ecclesiâ Catholicâ, his incommodis abundè provisum est: ubi Scriptura interprete non indiget, primas obtinet: ubi obscura, Doctorum interpretationes requirit, quę à tot sæculis semper sibi fuêre conformes. Ad eas tanquàm ad sacram anchoram recurritur. Et his concurrentibus, neque

neque plumbea neque cerea est, sed certa & ineffabilis, quarumcumque hæresum malleus, & Christianarum veritatum magistra. Sapientissimè autem in Ecclesiâ sancitum est; *Regulâ* 4. *Indicis lib. prohibit.* ut Bibliorum in vulgari linguâ lectio non concedatur, nisi à Catholicis auctoribus versorum, atque iis qui ex hujusmodi lectione non damnum, sed Fidei & pietatis augmentum capere possunt. Non enim in dubium revocari potest, vulgus imperitum facilius scandalis immergi, difficilius emergere, subtilitatum & distinctionum incapax. Vidimus & audivimus Arianorum, Manichæorum, Donatistarum, & omnium pœnè antiquiorum hæreticorum voces, inclamantium Scripturas, ad Scripturas provocantium, & dùm literam sequerentur, non Spiritum, suo se gladio jugulasse. Ingemiscit de facto Germania, ingemiscit Anglia, Gallia, Belgium ab hæreseos peste non immunes, & interitus sui infœlicem hanc causam, ex eâ legendi libertate natam, seriùs deplorant. Rectè Ambros. comment. in c. 3. Lucæ. *Verendum esse, nè Scripturarum*

lector ignarus, magis vulnus ex imprudentiâ, quàm ſalutem ex lectione ſentiat. Præclariſſima illa ingenia Auguſtinus, Ambroſius, & alii, quos labores, quas vigilias, perpetuò lucubrantes in adipiſcendâ Scripturarum intelligentiâ non impenderunt? Nihilominùs audi, vir Delphice, & quicumque tecum de Scripturarum claritate gloriantur, Auguſtinum inter Doctores Eccleſiæ velùt aquilam, de ſeipſo loquentem, Tract. 36. in Joannem. *Iàm ergò videte quàm ſublimia loqui debuit, qui eſt aquilæ comparatus; & tamen etiàm nos humi repentes, infirmi, & vix ullius momenti inter homines, audemus tractare iſta, & iſta exponere: & putamus nos, aut capere poſſe cùm cogitamus, aut capi dùm dicimus.* Ita ille de ſe, qui doctrinâ & ingenio ultrà mille parafangas te & tuos pòſt ſe relinquit, non aliter quàm aquila veſpertilionem. Nec tamen pudet vel cogitare, quod Scripturarum ſenſum capiatis, ubi abſquè ullo ſtudio, non rarò in ipsâ ſuperficie vocum immoramini, ad veſtrum & aliorum interitum. De veteri Teſtamento ait Hieron. epiſt. 151. ad Algaſiam, quod tantis difficulta-

cultatibus, ac futurorum typis obvolutum sit, ut interpretatione totum quantum indigeat. In novo autem tàm profunda Dei consilia, tàm arcana & plena Majestate mysteria sub verborum cortice delitescunt, ut vix dùm & solùm ab aquilis inter tot radios deprehendi & discerni possit. De Epistolarum Pauli obscuritate Petrum Apostolum nuper audivimus: adjungo D.Hieron. de epist. ad Rom.quæst. 10. ad Hedibiam epist. 150. *Omnis quidem ad Romanos Epistola interpretatione indiget, & tantis obscuritatibus obvoluta est, ut ad intelligendam eam, Spiritus Sancti indigeamus auxilio.* Apocalypsis absquè tergiversatione, tota symbolis, tota sensuum obscuritate scatet. Inter has Scripturæ tenebras, secus esse non potuit, quin hi, qui supernaturali lumine se duci non patiuntur, sed proprio & naturali oculo eam contemplari conantur, à veritatis tramite deviarent. Duci ab Ecclesiâ (contrà quam portæ Inferi non prævalebunt) ejusque Pastoribus, quibus perpetuam Deus assistentiam promisit, divino ac supernaturali lumine duci est. Supernaturalia, penes quæ

verſatur Fides noſtra, proprio oculo videre velle, cœcutire eſt. Quàmobrem nihil ſapientiùs ſanciri, nihil populo Chriſtiano ſalubriùs excogitari potuit, quàm ſalutaris illa prohibitio: nè nimius ille lucis æternę ſplendor, ſi ab imprudenti & indocto oculo petatur, viſum conſternat, & legentem perimat; nè mucro ille imbecillioribus manibus credatur, nè offendantur. A Latinis, Græcisque codicibus, quorum probata eſt verſio, nullus arcetur: quòd harum linguarum periti paſſim doctiores præſumantur. Cæteros longè conſultiùs eſt per conciones, ac Paſtorum inſtructiones, juxtà uniuſcujuſque captum & doctrinam, in Evangelicâ doctrinâ inſtitui ac edoceri: eâ ratione ſatiùs Chriſtiana Plebs in pietate, humilitate, & Dei timore continetur, nè per Scripturæ lectionem in cogitationibus ſuis ſuperbè evaneſcat, proprio nixa judicio. Plurima denique ſunt in Sacris Literis, quæ ſi ad imperitum vulgus devenirent, facilè riderentur, aut quod pejus eſt, in pravos uſus converterentur; qualia paſſim in Canticis Cant. libro Ruth, & alibi reperiuntur. Ob

occa-

occaſionem non abſimilem Manichæi à veteris Teſtamenti reverentiâ imprudenter, & impudenter receſſerunt. Tanti incommodi occaſio meliùs tolli non potuit, quàm ab imperitorum manibus ſacros codices amovendo; ut quos cùm rariùs triverint, ut ſolet, majori veneratione proſequantur.

Tandem etiàm blaſphemum non eſt, imò nec inconveniens Traditionibus Apoſtolicis æqualem ac Sacræ Scripturæ honorem deferre, eaſque antiquiores aſſerere: dummodò verè ſint Traditiones univerſalis Eccleſiæ à ſæculo in ſæculum deductæ, receptæ & approbatæ.

Et quamtumvis hæc ſuperiùs diſcuſſa fuerint, ratione novæ objectionis rurſum tangenda videbantur. Quid obſecro intereſt Imperatorum juſſa ſcripto intimentur, aut vivâ totius Senatus, populique voce denuncientur? Certè quoquo modo fiant, eadem reverentia, eadem debetur obedientia. Similiter nihil abſurdum æterni Regis imperata, vel ſcripto, vel Eccleſiæ vocali denuntiatione cognoſcantur, cognita credantur, credita pari ac

ſcripta honore excipiantur. Nequè honor ille in hominem cadit, ſed in Deum, cujus homines inſtrumenta ſunt, quibus velùt per canales divina voluntas innoteſcit. Et ſi hoc magis creaturæ ſubjici ſit, quàm Creatori, quod verbo non ſcripto eadem Fides, quæ ſcripto adhibeatur; profectò creaturæ quoquè ſubjici eſt, & non Deo, per exaratam characteribus chartam, primam veritatem agnoſcere. Quare Traditionibus & Scripturæ credere, nihil aliud putamus, quàm Deo credere revelanti; à quo utrumque, licet per diverſa media, intimatum nobis eſt. Nequè enim ad unum manus Dei ligata eſt. Ille quippè non ſolum Imperatoris indignationem juſtè incurrit, qui ejus voluntatem literis traditam contemnit: ſed ille quoquè, qui Legatum ejus audire recuſat, ad hoc præſertim auctorizatum, ut hîc & nunc in rebus ſuæ legationis audiatur. Audiendi itaque ſunt Eccleſiæ Doctores, & Paſtores in rebus ſui muneris, quales etiam ſunt Traditiones: cùm ad hoc verè & manifeſtè miſſi, verè deſtinati ſint, utpotè ad quos illa dirigantur, *Qui vos audit,*

me

me audit Luc. 10. 16. *Rogavi autem pro te, ut non deficiat Fides tua, &c.* Luc. 22. 32. *Portæ inferi non prævalebunt* Math. 16. 18. *Tenete Traditiones*, 2. ad Theſſ. 2. 14. Nec minoris faciendæ ſunt Eccleſiaſticæ Traditiones quàm Sacra Scriptura, cui illas exęquare non dubitavit Paulus: *Tenete Traditiones &c. ſive per ſermonem* 1. verbum Dei non ſcriptum, *ſive per epiſtolam* 1. verbum Dei ſcriptum: adeóque tamquàm æqualis auctoritatis non ſcriptum ſcripto antepo-nit, velùt tempore prius: velùt ideò infallibile non ſit, quod ſcriptum, vel non ſcriptum ſit; ſed quod à Deo procedat revelante, qui & hoc revelavit etiàm antequàm ſcriberetur. Certùm quoquè eſt ea, quæ ſcripta ſunt, tradita plerumque priùs fuiſſe, vndè Paulus 1. ad Cor. 11. 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Et ipſe Lucas in ipſo ſui Evangelii limine, ſe à Traditione ea quæ ſcripſit accepiſſe confitetur: *Sicut tradiderunt nobis, qui ab initio ipſi viderunt, & miniſtri fuerunt ſermonis.* Luc. 1. 2. Clarum igitùr eſt ex Scripturâ haberi, Traditiones præceſſiſſe; tantò magis quod Scripturam Canonicam &

authenticam esse nunquàm sciveris, nisi magistrâ Traditione, aut (quod in idem recidit) Ecclesiâ, cujus auctoritate Traditiones comprobantur.

Forsitan objicies quod hominum natura sit fallax, quod *omnis homo mendax*: adeoque in Ecclesiam facilè introduci posse plurimos errores, cùm ex hominibus constet; qui errores decursu temporum, quasi Traditiones Apostolicæ facilè haberentur, atquè adeò nec in materiâ Fidei, nec morum, regulas posse constitui infallibiles, quæ à tàm fallaci principio petantur.

Occurro quod eâdem prorsus ratione dicere possis, quoties appetitui tuo videretur, Sacros Evangeliorum Codices humanâ malitiâ corruptos & adulteratos. Dices etiàm Moysen, Prophetas, Apostolos, & Evangelistas homines fuisse, adeoque fallaces, mendaces nec infallibiles. Nos longè aliter, eos homines quidèm secundùm naturam corruptam, variis erroribus & corruptionibus obnoxios esse dicimus: si tamen à Spiritu Sancto instruantur ac dirigantur, omninò infallibiles, errare non

non posse. Tales putamus Moysen & Prophetas, qui Spiritu Sancto dictante, veteris Testamenti paginas conscripserunt. Tales Apostolos & Evangelistas, quibus dictum est Joan. 16. 13. *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Talem deniquè universalem Ecclesiam, quæ fundata est suprà firmam petram, adversus quàm portæ inferi non prævalebunt, Sponsam Christi, columnam & firmamentum veritatis. Constat autem hanc Ecclesiam esse visibilem, & ex hominum universitate conflari; quibus in unum per unitatem Fidei congregatis, non per schisma & opinionum particularium divisionem sejunctis, peculiarem Christus Dominus usquè ad finem mundi promisit assistentiam, *Ego vobiscum sum in omnibuus diebus usquè ad consummationem sæculi*, Math. 28. 20. Sicùt igitùr illi, qui verbum Dei, quod est ipsa veritas, divino numine aspirante, scriptis mandarûnt, nequaquàm potuerunt errare: ita nec ipsi qui verbum Dei non scriptum speciali Spiritus Sancti assistentiâ nobis proponunt. Et si dicas verbum scriptum

talem divinæ veritatis ſplendorem emittere, ut per ſeipſum ſatis pateſiat, his præſertim qui vero Fidei lumine illuſtrantur; ego planè minores radios ex verbo non ſcripto ab Apoſtolis continuâ ſucceſſione ad nos derivato, vix aut numquàm deprehendo. Quaſi verò verbum Dei aliter ſonet, aut minùs reſplendeat in ore univerſalis Eccleſiæ, quàm in chartâ. Quod autem Hæretici illud Scripturæ lumen ſibi micare aſſerant, arroganter omninò ſibi & nobis imponunt. Etenim ſi ita eſt undè tàm pertinaciter & furiosè pro vero Scripturæ ſenſu inter ſe decertant? Quod unus affirmat, alter negat. Rectè in illos quadrat illud, *Quot homines tot ſententiæ*: ita ut turrim Babylonicam verè exſtruere dici poſſint. Longè aliter Sanctæ Eccleſiæ Romanæ filii, qui quamvis loco, tempore, ac naturali propenſione plurimùm inter ſe diſtent, unanimi tamen conſenſu in unicum doctrinæ, & veritatis ſplendorem conſpirant, in immutabile unius Fidei lumen conveniunt, & cohærent. Licèt enim plura ſint membra, quia tamen in unius cor-

corporis communione copulantur, unico Fidei oculo vident: & si quid unum clarè vident, per Spiritum Sanctum vident, *Qui inhabitare facit unius moris in domo*, Psal. 67. 7. qui singularis Spiritus Sancti effectus est. Hæretici verò qui seipsos velùt putrida membra ab hoc corpore, separarûnt, ab illâ Spiritus Sancti assistentiâ, quæ corporis hujus anima est, planè recedunt: & tot sibi oculos fabricant, quot separata membra sunt. Sicùt autem utenti perspiciliis polygonis unicus nummus verus, plures verò falsi apparent: Ita in rebus Fidei veritas unica est, quàm circumambiunt plura hæreseon mendacia, plures umbrę. Et quemadmodum illa malè sibi constans certum falsitatis & mendacii argumentum est: ita concors illa unitas infallibile signum veritatis, quo vera Ecclesia à falsâ, verus populus Christianus ab Hæreticis dignoscatur. Aperi itaque oculos infœlix Emanuel: imò oculos illos tuos hebetes & proprii judicii, si quos habes, occlude, ut uno & infallibili communi Ecclesię oculo videas, & revertere ad petram undè abscissus es, nisi

malis

malis ordinariam infidelitatis pœnam, perpetuę obcœcationis damnum ſubire.

MOTIVVM VIII.

HIc in medium producit duas notas veræ Eccleſiæ Chriſti à falsâ diſtinctivas: quarum prima ſit, Pura & puta Verbi divini prædicatio; altera Sacramentorum ſyncera adminiſtratio. Vtramque Romanæ Religioni deeſſe, ideòque immeritò Eccleſiæ Chriſti nomen uſurpare. Priorem quidèm manifeſtè, cùm populus verbum Dei non cognoſcat, nec illud poſſit addiſcere ex Scripturæ lectione linguâ vernaculâ, niſi de licentiâ Superiorum. Hînc non immeritò illis improperari poſsit, quod Chriſtus Sadduceis Math. 22. 29. Erratis neſcientes ſcripturas. *Scripturarum loco libellos devotionum, Beatiſſimæ V. & Sanctorum officia & hujuſmodi alia obtrudi, nec intelligi à populo. Adimpleri illud* 1. *ad Corinth.* 14. 11. Si neſciêro virtutem vocis, ero ei, cui loquor barbarus: & qui loquitur, mihi barbarus. *Ex illâ Scripturarum ignorantiâ infinitos errores ſuboriri.*

RES-

RESPONDETVR.

Veras aliquas Ecclesiæ notas assignando, quæ soli Catholicæ conueniunt; sicut & illæ, quas minister Delphicus malè refert. An omnium sit Scripturam interpretari? Defenduntur etiàm preces horariæ Catholicorum.

NOtæ quæ veram Ecclesiam à falsâ secernant, tales sint necessum est, quas Sectarii de Religione suâ mentiri non possint: manifestissimæ, quibus digito ostendi possit; hæc est, non illa: & propriissimæ seu nulli alteri communes. Porrò illæ duæ notæ, quas hîc Doctor Delphicus attulit, quàmvis veræ Dei Ecclesiæ omninò convenire debeant, attamen non satis sunt manifestæ & obviæ, ut per eas veram à falsâ Religione distinguas; utpotè quas de se quælibet Sectæ prædicent. Vndè nisi manifestiores assignari possint, dicam non satis humano generi

provisum

provisum, ut verum Christi ovile cognoscat: adeoque nec salutem suam, quam extra veram Ecclesiam operari non est, consequi posse. Sit exemplum. Dùm Emanuel quondam noster vacillare cœpit, & dubitare de veritate Religionis, si sibi dari postulasset certa & infallibilia indicia, quibus veram Dei Ecclesiam potuisset dignoscere, ac ministellus aliquis respondisset, Vbi est pura verbi Dei prædicatio, & syncera Sacramentorum administratio, ibi vera est Religio. Quid clariùs vidisset quàm antè? Hoc sibi arrogant Lutherani, hoc Calvinistæ, hoc Zuvingliani, hoc prædicant de se Puritani, hoc Armeniani, Gommaristæ, Anabaptistæ, Hussitæ, & id genus alij, hoc & ipsi Judæi, & deniquè jure merito de se Catholici. Itaque recensendæ sunt ex Symbolo Nicæno aliæ notæ, quæ sic veræ Ecclesiæ conveniant, ut alteri convenire nec possint, nec fingi. Sit igitùr Ecclesia Dei oportet, una, Sancta, Catholica, & Apostolica. Vna quidèm unitate Fidei, unitate Spiritus; licet per orbem terrarum longè latèque diffusa. Sancta, sanctitate morum,

rum, ſanctitate doctrinæ. Catholica ſeu œcumenica aut univerſalis, cujus in omnem terram ſonus exiverit, & in fines orbis terræ verba delata ſint. Apoſtolica, ab Apoſtolis nempè continuâ, & non interruptâ ſucceſſione, per legitimos ſucceſſores ad nos uſquè deducta. Hæc ſi poſſis, quiſquis es, qui Romanam falſitatis arguis, alteri applica. Ego potiori jure illas quas allegas notas, illi quadrare demonſtro, quàm ulli alteri. Quia tamen hîc primam tuam notam ſolùm Romanæ denegas, de illâ ſolâ hîc verba faciam: alteram occaſioni reſeruabo. Illa eſt pura verbi divini prædicatio, quę fit non ſolum de doctrinâ ſanâ & incorruptâ Catholicę fidei; ſed etiàm modo legitimo, per legitimos miniſtros. Hoc ſoli Romanę Religioni competit: ſola illa miniſtros habet legitimè vocatos, legitimè miſſos per legitimam ſucceſſionem & ordinationem. Oſtendant Sectarii vel veſtigium ſuę miſſionis. *Quomodo verò prædicabunt niſi mittantur?* Ad Rom. 10. 15. Ipſi viderint. Et quomodo ſanam & incorruptam Catholicę Fidei doctrinam prædicabunt, cùm

toties

toties divisi, tot diversis opinionibus implicentur, atquè ita proprio quilibet cerebello ducatur, ut vix dùm duos sit invenire conformes? Sit ergò sola Romana Ecclesia verè una, Sancta, Catholica & Apostolica, cui soli compètat syncera Sacramentorum administratio, pura & puta verbi divini prędicatio. Nequè verò puritati illi adversantur Concionatores & Doctores Catholici, quod interdùm humanis scientiis utantur; cùm illis non utantur, ut verbum Dei prophanent, aut divinas veritates occultent, sed illas, instar ancillarum, ad munitissimam Sacrę Theologię arcem advocant, ut *Invisibilia Dei à creaturâ mundi, per ea que facta sunt intellecta conspiciantur, sempiterna quoquè ejus virtus & divinitas*. Ad Rom. 1. 20. Nonobstat etiàm quod Biblia plebeiis passim non permittantur, tantò enim purius verbum Dei servatur, quantò doctioribus & purioribus mentibus reservatur, quantò cautiùs, pretiosissima hęc margarita à fœdâ porcorum contrectatione custoditur. Quid namquè aliud est, Sacros libros, earumque interpretationem quibuslibet indiffe-

indifferenter, etiàm mulierculis, ut ſuprà diximus, lanionibus, cauponibus, & abjectis homunculis inter fœcundos calices & ſpurciſſimas fabulas permittere, quàm mittere margaritas antè porcos? Indignum profectò eſt, & Deum ipſum irridere, divinamque Spiritus Sancti diſpoſitionem, qui admirabili ſapientiâ & providentiâ diſtribuit chariſmatum dona, conſtituẽs in Eccleſiâ Paſtores & Doctores: quibus interpretationem ſermonum, & genera linguarum conceſſit, per donum ſapientiæ, ſcientię & intellectus. Vos autem notorii doctrinę Evangelicę defertores, omnes abſquè diſcrimine facitis Prophetas, Doctores, Interpretes, Apoſtolos, etiàm Paulo renitente 1. Corinth. 12. 28. *Quoſdam quidèm poſuit Deus in Eccleſiâ, primùm Apoſtolos, ſecundò Prophetas, tertiò Doctores &c.* & v. 29. *Numquid omnes Apoſtoli? numquid omnes Prophetæ? numquid omnes Doctores?* & v. 30. *Numquid omnes linguis loquuntur? numquid omnes interpretantur?* Sic Eccleſiam Dei confunditis, ut veſtram, quæ Satanæ eſt, aſtruatis, quæ conducit ad regionem illam, quam Pro-

pheta Job appellat c. 10.22. *Terram miſeriæ, & tenebrarum, ubi umbra mortis & nullus ordo, ſed ſempiternus horror inhabitat.* Et hæc Eccleſiæ veſtræ certiſſima nota eſt, in quâ nullus ordo: quandoquidem totum ordinem Hierarchicum funditùs ſubvertitis. Eccleſia verò Romana & Catholica non permittit, ut unuſquiſque pro ingenii ſui libidine Sacram Scripturam interpretetur, niſi inhæreat ſententiæ illorum, quos Deus dedit Eccleſiæ *Paſtores & Doctores.* Quę ob hoc vel maximè *primitivorum* dicenda eſt: cùm ejus filii eumdem planè ſtylum, & ordinem primorum Patrum naſcentis Eccleſię penitùs inſequantur. Series Sacrorum Conciliorum argumento eſt. Pòſt primum nimirùm Apoſtolorum, Chriſtiąque Diſcipulorum, in quo congregati fuerunt pro doctrinâ ſanâ componendâ & defendendâ, tàm quoad Fidem, quàm mores; aliorum Sanctorum Patrum, Eccleſię Paſtorum, & Doctorum, qui pro tempore fuerunt ſucceſſit Conc. Nicænum, Calcedonenſe, Epheſinum, Carthaginenſe, Lateranenſe, & cætera, uſque ad ultimum Tridentinum,

num, in quo anathemate percussi sunt errorum vestrorum magistri. Et hæc quidèm Conciliorum nostrorum series: referant, si possint, ex adverso Sectarii suorum ordinem. Non invenio Concilia: invenio Lutherum & Calvinum, qui suâ auctoritate, non Apostolicâ, sed diabolicâ, doctrinæ Apostolicæ destructores, in animarum ruinam leges tulerunt. Obtrudes forsitan Conciliabulum Dordracenum, & Vltrajectinum. Sed edisserе, quos ibi Doctores, quos Pastores & magistros Ecclesia vestra congregavit? Certè non nisi mechanicos, opifices, mercatores, qui statuta Ecclesiastica condiderunt, & Provinciis rebellibus servanda proposuerunt. Ita mentes vestras elusit Princeps tenebrarum harum, Pater mendacii, caput Ecclesię malignatium, qui unico sibilo antiqui serpentis, insufflavit in aures Parentum vestrorum, virus inobedientię & tùm in Regem, tùm in Deum rebellionis. In vos itaque illud Christi ad Sadducæos potiùs cadit, *Erratis nescientes Scripturas*. Literam occidentem sequimini, vivificantem Spiritum abominamini. Non

est deniquè quod oblatretis contrà Preces horarias, orationum formulas, quas Fidelibus suis S. Mater Ecclesia evolvendas exhibet: cùm nihil nec in re, nec in modo contineant, quod laude dignum non sit. In re, quoniam ex Psalmis potissimùm & selectissimis quibusque Hymnis & Sanctorum Patrum precibus desumuntur. Quo quid laudabiliùs? In modo, propter horarum divinarum atquè nocturnarum ordinatissimam dispositionem: hîc nihil, quod ad pietatem non provocet. Quod verò Latino passim idiomate evulgentur, ita planè conveniens fuit, quandoquidem maximâ ex parte è Sacris Literis seliguntur: ideòque vulgari sermone distrahi non conveniat, cùm nulla versio ab Ecclesiâ hactenus fuerit approbata. Vndè tametsi ipsi orantes linguam illam non intelligant; sufficit, sciant laudes esse divinas, quibus suam intentionem, secundùm Ecclesiæ mentem conforment. Sic enim tantò gratiùs & acceptiùs Deo sacrificium laudis offerunt, quantò majori unionis vinculo ipsi Ecclesiæ copulati, suam intentionem conjungunt. Idquè Deo satis

satis est, cui lingua nulla barbara esse potest. Nàm locus ille Apostoli contrà nos allegatus, apertè de locutione hominis cum homine loquitur, & satis indicatur in ejusdem capitis 14. initio vers. 2. *Qui enim loquitur linguâ*, scilicet ignotâ, *non hominibus loquitur, sed Deo.* Ex quibus luculentissimè colligitur, quod non ex præscripto rationis: sed ex inveterato in Ecclesiam Romanam odio, calumniandi ansam undecùmque (in vanum tamen) assumitis.

MOTIVVM IX.

QVod Romanæ Ecclesiæ interpretationes, quas plerumq; Catholici in explicandis Sacræ Scripturæ locis adhibemus, vel falsæ sint, vel risu dignæ, aut minùs veræ. Nolle autem se suæ assertionis veritatem docere, omnia tangendo: satisfacturum se, paucula quædam, velùt reliquorum indices, in medium proferendo. Et hoc imprimis cognosci posse, ex libello excuso Bononiæ anno 1590. *dedicato Cardinali de Ruvere, cui titulus,* Conformitates S. Francisci: *eò quod refertus sit fabulis, adulterinis miraculis, prodigiosis mendaciis, horri-*

bilibus blaſphemiis. Talis deniquè, cujus impudentia nullis verborum hyperbolis expendi aut declarari poſſit.

RESPONDETVR.

Nulli fundamento calumnias illas inniti.

PArturiunt montes, naſcetur ridiculus mus.

Adfer hîc quæſo, miniſtelle Delphice, execrabilium mendaciorum, & blaſphemiarum exempla, ut cenſuræ tuæ tàm rigidæ fundamenta trutinentur.

MOTIVVM X.

VNicum, inquit, hoc exemplum ſufficere. Vbi auctor illius libelli 2. prologo, folio 6. col. 2. dictarum conformitatum, aſſerit S. Franciſcum ſingulari Dei providentiâ in hunc mundum deſtinatum fuiſſe, ei applicans illud Geneſ, 1. 26. Faciamus hominem ad imaginem. & ſimilitudinem noſtram, *quaſi à Sanctiſſimâ Trinitate hæc verba ad ipſum dirigerentur.*

Ex quo

Ex quo concludit: illa ergò verba ad Adamum protoparentem noſtrum applicari, aut ſi ad Adamum, ergò non ad Sanctum Franciſcum.

RESPONDETVR.

Et multiplices Scripturæ ſenſus: accommodatitii uſus licitus: duæ veræ Eccleſiæ notæ obiter tanguntur.

STOliditatis & ignorantiæ tuæ manifeſtiſſimum veſtigium. Illæne ſunt horrendæ blaſphemiæ, deteſtabilia mendacia, quæ nobis occinis? Quis ferat in viro, cui vel mica ſalis vel ſcientiæ, tàm expertem judicii illationem? Conſimili argumento probo te eſſe immortalem, aut ſaltem non eſſe obnoxium morti naturali. Dictum eſt Adamo Geneſ. 3. 19. *Pulvis es, & in pulverem reverteris.* Ergò hoc tibi dictum non eſt. Luc. 23. 43. *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Ergò tu cum Chriſto, nec ullus tui ſimilis miniſter, eris in Paradiſo. Vndè rectè videris, ſi talis ſis in

rectâ Philoſopiâ tenebrio, qualis eris in Theologiâ. Si enim tua concludunt, etiàm mea: cùm par utrobique ſit ratio. Inſolens tibi & inuſitatum videtur, tàm in divinis, quàm in humanis literis nomina, encomia, epitheta, præter primariam ſuam ſignificationem, per metaphoram, analogiam, anagogiam, allegoriam, aut ſimilem loquendi modum ad aliud ſignificatum transferri? Quoties Paulus loca Scripturæ, ubi de terreſtri Hieruſalem ſermo eſt, de Cæleſti intelligit, & è contrà? Vbi Geneſ. 25. & Malach. 1. de Idumæis & Iſraëlitis, ſeu de Jacob & Eſau ad literam ſcribitur, Apoſtolus ad Rom. 9. de Electis ad gloriam, & de reprobatis anagogicè interpretatur. Sicùt & ad Gal. 4. 22. 23. *Scriptum eſt enim, quoniam Abraham duos filios habuit, unum de ancillâ & unum de liberâ. Sed qui de ancillâ, ſecundùm carnem natus eſt: qui autem de liberâ, per repromiſſionem. Quæ ſunt per allegoriam dicta. Hæc enim ſunt duo teſtamenta, &c.* Reſume itaquè argumentum tuum, & inſurge contrà Gentium Apoſtolum. Gen. 21. ſermo eſt de Iſaac & Iſmael filiis Abra-

Abraham, ergò non de duobus Teſtamentis, ſeu de populo Chriſtiano, & Judaico: aut ſi de populo Fideli & Judaico, & de duobus Teſtamentis, ergò non de Iſaac & Iſmael. Ecce quàm bellè rem acu tãgis, in his & ſimilibus allegoriis, quę paſſim in Sacris Literis obviæ ſunt. Abſit à rectè Philoſophantibus ille philoſophandi modus: aſſeramus utrumque ſenſum & literalem & myſticum (quod certiſſimum eſt) à Spiritu Sancto intentum fuiſſe: hunc quidèm primariò, illum ſecundariò. Putamus autem, ad Myſtici ſenſus exemplum, nonnulla ex Scripturis (quando ſuadet rationis paritas) ad alias res & perſonas, ſenſu, vocant, accommadatitio poſſe applicari. Non quidèm, quod à Spiritu Sancto ſenſus ille forſitan intentus fuerit: ſed quia eadem verba, in uno ſenſu ab eo ſcripta aut prolata, alteri apprimè conveniant, ideòque eidem debitâ cum reverentiâ licitè poſſunt accommodari: dùm præcipuè virtutis alicujus commendatio id ſuadet, dùm viri alicujus illuſtris & amici Dei encomium id permittit, aut in aliis hujuſmodi caſibus honeſtis. Atquè ſenſus

hujus accommodatii usus in Ecclesiâ Catholicâ non est recenter introductus. Eum passim usurparunt Sancti & antiqui Patres: ex quibus hæc ex innumeris exempla profero. Quod Paulus Rom. 8. 17. de Christo pronunciavit: *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur*, hoc Augustinus serm. 44. de Sanct. uni Martyri sine scrupulo accommodavit. Gregorius verò Nazian. in orat. funeb. S. Basilii hæc habet. *Basilii autem pulchritudo virtus erat, magnitudo verò Theologia; at cursus, mobilitas assidua, quæ ascensibus suis ad Deum usquè perducit; vires verò, satio sermonis atquè distributio: ità ut rectè mihi Scripturæ illud de eo usurpare liceat.* In omnem terram exivit sonus ejus, & in fines orbis vis verborum ejus: *quod B. Paulus de Apostolis à Davide dictum esse ait.* Vndè liquidò habes, Nazianzenum jàm suâ ætate triplicem illius versiculi sensum agnovisse: literalem de cœlis, mysticum de Apostolis, & de S. Basilio accommodatitium, quem ipse usurpavit. Quænam igitùr blasphemia, aut quæ novitas, si auctor ille locum controversum, *Faciamus hominem, &c.* qualicumque ex his sen-

his ſenſibus S. Franciſco rectè prudenterque adaptavit. Nequè enim ille minùs imaginem & ſimilitudinem Dei repreſentavit, quàm Adam, ſive naturam ſpectes, ſive gratiam. Si naturam; uterquè homo fuit ejuſdem ſpeciei, tribus potentiis intellectu, memoriâ & voluntate, in unâ eâdemque animâ prædítus, quæ expreſſiſſima eſt Sanctiſſimæ & individuæ Trinitatis (ſi quæ alia eſſe poſſit) imago & ſimilitudo. Si gratiam: uterque imaginem illam peccato deformavit, Adam actuali, Franciſcus originali, quod commiſit in Adam. Reſtaurarûnt tamen, ille remedio in legenaturæ præſcripto, hic Sacri Baptiſmatis ablutione; rurſum facti divinæ conſortes naturæ. Adam ſupernaturali illâ Dei imagine recuperatâ, illam continuis virtutum ac perfectionis augmentis in dies illuſtrauit, ut non ſine fundamento ſancti Patres opinantur: S. Franciſcus de virtute in virtutem, de perfectione in perfectionem, non ſolùm viam mandatorum, verùm etiàm anguſtam conſiliorûm Evangelicorum ſemitam fœliciter peragravit, ut teſtes ſunt hiſtoriæ certiſſimę,

mæ. Dixerat Christus Math. 19. 21. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus &c. & sequere me.* Audiît Franciscus, reliquit sua, dedit pauperibus, secutus est Christum, & quò Divinæ Majestati similior fieret, perfectissimus evasit, juxtà consilium Christi Math. 5. 48. *Estote perfecti, sicùt Pater vester cælestis perfectus est.* Quasi diceret, si vultis ad imaginem & similitudinem Dei perfectissimo modo pervenire, ad Christianam perfectionem, quò potestis ardentissimè, aspirate: & quantò altiùs ejus culmen conscenderitis, tantò perfectiùs imaginem Dei (& hoc sibi vult particula Sicut) referetis. In hunc modum S. Franciscus naturâ, gratiâ, & perfectione imaginem Dei in se expressit, sicùt & Adam. Potuit igitùr ipsi aptissimè applicari locus ille, *Faciamus hominem, &c.* Nec te moveat obsecro, quod illud ipsum à Sanctissimâ Trinitate ad S. Franciscum directum dicatur: nàm Thelogorum certissimum effatum est, & doctrina communis, quod quidquid Deus producit ad extra, à tribus personis debeat procedere. Id ex Hebraici

braici textus lectione non obscurè colligitur, *Vayomer Elohim nangase Adam bethsalmenu, kidmutsenu. Dixit Deus: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram.* Vbi verbum *Vayomer, dixit,* singularis est numeri: nomen verò, cum quo construitur *Elohim, Deus sive Iudices* pluralis: ut ostendatur in unitate essentiæ, personarum pluralitas. Nec deniquè hoc te moveat, quod S. Francisco hæc quodammodò dicta proponantur: quoniàm verba illa, nihil aliud præter æternum plasmandi hominem Dei consilium significant, quo non intendebat solum protoplastum Adam ex nihilo creare: sed & universum genus humanum, per propagationem ex ipso producere. Neque absurdum est, hæc cuilibet etiàm singulari homini, secundariò saltèm, & præcipuè viris perfectissimis applicari, inter quos S. Franciscus velùt lucidissimum modò Ecclesiæ triumphantis sydus effulget. Hæc defensionis ergò: impetitionis ansam è re natâ præbet occasio. Duas notas verę Ecclesię nuper attulisti: duas alias, licèt non ex præcipuis, ex hâc tuâ objectione

ctione colligo. Prima. Illa est vera Dei Ecclesia, in quâ summa viget Christianę vitę perfectio. Nihil clariùs: ubi enim perfectiùs Deus colitur, ibi est vera Religio. Perfectio verò alia consistit in mandatorum nudâ observatione, alia in consiliorum Evangelicorum adimpletione, quę prioris velùt complementum est. Ita ipse Christus Math. 19. Primam sublatis bonorum operum meritis valdè diminuunt Calviniſtæ. Secundam nè fovent quidèm, imò impossibilem putant: voti reos apostatas qui missâ manu ad aratrum retrò respiciùnt, vel ideò maximè impunè admittunt. Apud eos quasi exilio damnati sunt *Eunuchi* illi *qui seipsos castraverunt propter regnum Cælorum*, Math. 19.12. Nullos invenire est, qui vadant, vendant quę habent, & Christum sequantur in obedientiâ simplici, nudâ paupertate, purâ castitate, rigidâ corporis sui mortificatione, & ardentissimâ charitate. In Ecclesiâ Romanâ sive Catholicâ innumerabiles hominum Religiosorum cætus in eâ perfectione Deo militant, & gratissimo obsequio, devincti & religati sunt: quorum magnâ

magnâ ex parte anteſignanus fuit S. ille Franciſcus, quem tu jocabundus exſibilas, non minùs impudenter quàm impiè. Hæcce tuo examini, & Neophiti tui conſiderationi impenſiori ulteriùs relinquo. *Qui credit in me*, inquit Chriſtus Joan. 14. 12. *opera quæ ego facio, & ipſe faciet, & majora horum faciet.* In verâ namquè Eccleſiâ, quę miraculis ſolet comprobari, tanquàm alterâ notâ evidenti, hæc ſigna non deſunt. Initio naſcentis Eccleſiæ frequentiſſima fuerunt, & etiamnùm hodie apud Indos, ubi lux Evangelii propagatur; & per ſingulas ætates, ubi neceſſarium fuit Fidei aſtruendæ, viros ſanctitate conſpicuos Deus Optimus Maximus miraculorum patrandorum gratiâ inſignes Eccleſiæ ſuę dedit. In quorum numero S. Franciſcus ſuo tempore etiàm claruit, & adhuc de facto claret. Sectarii vel unum miraculum oſtendant, quod doctrinæ ſuæ novitatem confirmet. Hæc è pluribus Eccleſię notis ex occaſione natâ obiter.

MO-

MOTIVVM XI.

QVod dictus libellus introducat Christum per illa verba Nathan Prophetæ ad Dauid 2. *Reg.* 7. 9. *compellantem S. Franciscum:* Feci tibi nomen grandè, iuxtà nomen magnorum, qui sunt in terrâ. *Et illud Ecclesiastici* 45. 3. *&* 4. Glorificavit illum in conspectu Regum, & iussit illi coràm populo suo, & ostendit illi gloriam suam. In fide & lenitate ipsius Sanctum fecit illum. *Adeoq; impudenter, ita in verbis Scripturæ Catholicos ludere.*

RESPONDETVR.

Locorum illorum accommodationem defendendo.

QVid ad rem magis accommodè in laudem tanti viri dici potuisset? nomen & gloriam ejus venerantur Reges, & Principes, nobiles, & plebeii, divites, & pauperes, qui magno ducunt honori in tàm Sancti Pauperis filios adscribi, chor-

dam

dam quâ præcingantur gestare, magnum ferendæ coronæ, sceptriqúe præsidium æstimantes. Quid itàque mirum si Davidi comparetur? Quid si Moysi? Eminentissimis charismatum donis fuit insignitus dilectus Deo & hominibus, quem pœnè infinita hominum millia secuti sunt. Moyses Israëlitici populi Dux fuit; hic innumerorum Religiosorum, qui sub ejus insignibus Deo, summâ cum laude, & vitæ perfectione militant. Non est ergò quod momico spiritu has comparationes calumnieris. Sed cave ultrâ, velùt alter, Assur populum Dei suggillare, nè in te cadat illud Psal. 71. 4. *Et humiliabit calumniatorem.*

MOTIVVM XII.

QVod quidam redarguens eos, qui bona Ecclesiastica prodigunt in meretrices, comœdos, canes venaticos, & alios hujusmodi usus prophanos; abutatur illo Marci 7.27. Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. *Deindè minitando illis, qui beneficia Ecclesiastica conferunt sibi consangui-*

neis & affinibus, applicet illud Abacuc 2. 12. Væ qui ædificat ciuitatem in sanguinibus: *Citat Lavacrum conscientiæ fol.* 5. *&* 6.

RESPONDETVR.

Malè ab aliquorum abusibus contrà integrum statum, aut contrà ipsam Ecclesiam argui.

HOc loco Rabbinus noster insigniter vulpes est. Quasi demoliturus Ecclesiæ Romanę vineam, intentat duo. 1. Contendit Catholicos Scripturis abuti, & detorquere ad sensus illicitos. Verum circà hęc paulò superiùs illi alas & caudam succidimus, ubi secundùm diversos sensus diversimodè sacræ paginæ verba licitè & legitimè (quod hîc etiàm fit) applicari ostendimus. Deindè ex industriâ, alieni nominis beneficio, Ecclesiasticorum abusus recensens, dente canino (ut rabiem Sectariorum notes) Ecclesiæ Prælatos lacessit, ut qui de patrimonio Ecclesiæ, scortorum & histrionum manus divitent, venationibus, & plerisque illicitis vacantes.

tes. Antiquum illum hæreticorum morem, iàm olim grauiter insectatus est Auguſt. epiſt. 137. *Ne ſimiles eis*, inquit, *ſitis, qui non habendo, quod in causâ ſuæ diviſionis defendant, non niſi hominum crimina colligere affectant, & ea ipſa plura falſiſſimè iactant: ut quia ipſam divinæ Scripturæ veritatem, quâubiquè diffuſa Chriſti Eccleſia commendatur, criminari, & obſcurare non poſſunt, homines per quos prædicatur, adducant in odium; de quibus & fingere quidquid in mentem venerit, poſſunt.* Sed ain, quos carpis? An omnes? ſi ais, etiàm conſodalium tuorum judicio mentieris ſplendidè. Aliquot ex iis dixeris? Aſſentior dolenter. At quid indè habes? Nequè mirandum equidèm quod in tàm copioſo numero, ſingulari cultu Deo deſtinatorum, quidam interdùm labantur. Nec enim eò ipſo, quo veſtem clericalem induerunt, hominem ſuum exuerunt, & ad Eccleſiam triumphantem, ubi charitas non excidit, illicò pervolarûnt. Dignitatem nimirùm Eccleſiaſticam theſaurum inæſtimabilem portant in vaſis fictilibus: fieri itaque poteſt, ut quæ frangantur & occumbant.

Conclude si potes: ergò omnes Ecclesiastici perversi sunt, Ecclesia Romana una non est, sancta non est, Catholica non est, Apostolica non est. Concluserо & ego contrà te, & omnes tui similes, ut adulteros, fures, & si quid his pejùs. Aliqui vestrûm adulteri sunt, fures sunt, &c. ergò omnes: ergò vestra Ecclesia Christi non est, sed Satanæ. Si rectè concludo, pessimo loco res vestræ sunt. Nequè est quod statum Ecceſiasticum damnes, cùm caveas damnare conjugalem, licèt eò interdùm conjuges abutantur. Vitia quorundam Prælatorum particularium dignitatis & status sanctitati non obsunt. Leges quas ipsis Sancta præscripsit Ecclesia, nihil non sanctum spirant. Plurimos habent hoc nostrum Belgium & cætera Regna Prælatos Ecclesiæ, morum & vitæ sanctitate conspicuos, eosque pœnè innumerabiles. Ad illos potiùs quàm ad malos respice. Malorum potiùs misereri te oporteret, quàm propter illos Ecclesiam militantem sic calumniari: quæ sagena quidèm est plena bonis & malis permixtim piscibus: ager, in quo semini bono zizania

super-

ſuperſeminantur. Sed iſta zizania ac malitia, nullo modo proveniunt ex illâ quàm nobis Eccleſia proponit, doctrinâ, quę omnes hujuſmodi rigidiſſimè prohibet abuſus. Verùm ſi veſtras nequitias peniùs conſiderare voluero, primâ fronte apparebunt non ſolùm ex quorundam particularium, imò omnium pœnè veſtrûm abuſu, ſed ex ipsâmet Calviniſticâ aut Lutheranâ doctrinâ derivari. Eſtis etenim infidelitatis & rebellionis ergà legitimos veſtros Principes, artifices nequiſſimi, bonorum Eccleſiaſticorum uſurpatores iniquiſsimi, Templorum prophanatores, votifragorum fautores ac defenſores. Vndè? ex infernalibus veſtris dogmatibus fœtus illi infœlices cùm pluribus aliis, ſine controverſiâ pullularunt. Quod ſi deniquè Prælati noſtri interdùm conſanguineis ſuis de beneficiis Eccleſiaſticis provideãt; fieri contingit, quod capaciores ſint, vel ſaltem cęteris æquales: ſin minùs abuſus hic paucorum eſt, perſonis ipſis tribuendus, non Statui, aut Religioni.

MOTIVVM XIII.

AButi Romanos etiàm Scripturis, in coronatione Pontificum, inter illas quas adhibent cæremonias. Quod in Sede Pontificali à Canonicis Lateranensis Ecclesiæ collocatus Papa à Cardinalibus elevetur, illud Annæ 1. *Reg.* 2. 8. *proferentibus:* Suscitat de pulvere egenum, & de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus & solium gloriæ teneat. *Quod elevatus, in populum projiciat pugillum pecuniæ æreæ, pronuntians illa verba, Act.* 6. Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. *Quod postmodùm abundantiùs nummos tam argenteos quam aureos, Pontifex per suos famulos, in populum profundit. Hìc inquirit, utrum non sit mendacii reus, dum dicit* argentum & aurum non est mihi?

RESPONDETVR.

Cæremonias illas à calumniâ vindicando.

NOn est novum Hęreticis in sacras & antiquas Ecclesię cœremonias rectè insti-

instituta & sanctè obseruatas perfrictâ fronte debaccari. Quid concluderetur contra Ecclesiam Catholicam, etiamsi hujusmodi cœremoniæ, nullum alium ob finem, quàm ut obseruarentur ea quæ antiquitas ritè constituit, adhiberentur? Certè in singulis ferè nationibus, in conuictu, conuersatione, vestitu, salutatione, & multis aliis, variæ ac valdè diversæ, quin & interdum contrariæ obseruantur cœremoniæ: neque ideò ab iis, qui vel mediocri pollent discretionis iudicio; sed solùm à nugacibus, quos hâc in parte apprimè agunt Sectarii, deridentur. At, præterea minima ex Ecclesiasticis cœremoniis sancta est, & mysteriis plena. Hæc ignoras, & quæcumque *ignoras, blasphemas*. Noveris facilè de quibus loquatur Iudas Apostolus. Neque malè verba Scripturæ in cœremoniis illis applicantur: suscitatur enim verè Pontifex de pulvere naturæ mortalis (quæ pulvis est & in pulverem revertetur) & de stercore eiusdem naturæ infectæ: pauper & egenus; quia nudus egressus est de utero: pauper & egenus propter humilitatem, sicut cùm Dauid Rex po-

tentissimus dicebat Psal. 85. *Inclina Domine aurem tuam & exaudi me : quoniam inops & pauper sum ego.* Dic quoquè Davidem mentitum. Pauper & egenus, respectu illius dignitatis, ad quam elevatur: *Vt sedeat cum Principibus*, imò super Principes, Reges & Imperatores, ut suo tempore ostendam, *& solium gloriæ teneat*, supremum videlicet in terris Dei Vicariatum. Cùm verò dicit, *Argentum & aurum non est mihi*, nihil aliud significare intendit, nisi quod suprema illa, ad quam assumitur, dignitas, non ideò instituta fuerit, ut ipse Fideles collatâ bonorum temporalium abundantiâ locupletet: sed principaliter, ut spirituales gratias, quæ ad vitam perducunt æternam, conferat atquè dispenset. Licèt per accidens ex liberali piorum Fidelium largitione, uberes Ecclesiastici proventus beneficiorum collationem subsequantur, in divini cultus decorem, & ministrorum Ecclesiæ tuendam majestatem. Nihil hîc mendacii, nihil hîc abusus.

MO-

MOTIVVM XIV.

IN vulgatâ Bibliorum editione frequentissimos errores irrepsisse: cujus tamen authoritatem Conc. Trid. Græcis & Hebraicis codicibus anteponit, quasi spurium pro legitimo fœtum substituens. Allegat proindè plurima loca fuisse adulterata, conatus illud ostendere nonnullis exemplis. Imprimis hunc locum Genes. 3.15. Ipsa conteret caput tuum: *cum deberet legi* ipsum, *nempè semen mulieris, ut ita posset applicari Diuæ Virgini, quod soli Christo Domino debetur: & hoc necessariò fatendum esse à quolibet vel mediocriter Hebraicæ perito.*

RESPONDETVR.

Et Vulgatæ editionis auctoritas defenditur, ac Deiparæ Virginis victoria propugnatur.

AVt numquàm Conc. Trid. legisti, Vir Delphice, aut maliciosè quod asseveras imponis. Hebræos & Græcos Codices, nullâ eorum mentione factâ, fidei

& auctoritati ſuæ relinquit Concilium: nihil enim opus erat de illis definire, de quorum auctoritate nulla exorta fuerat controverſia. De Latinis editionibus, quę plures & variæ circumferebantur, dubium eſſe poterat. Definit itàque Vulgatam illam cæteris verſionibus latinis eſſe præponendam, quam jàm Eccleſia à mille & ampliùs annis, ut authenticam coluit: quam Auguſtinus, ſub Italicæ editionis nomine, ab antiquitate & fidelitate commendat. Vt autem ad oculum pateat, nullam de Græcis aut Hebręis illìc fieri mentionem, Concilii verba profero, ſeſſ. 4. decreto de editione & uſu ſacrorum librorum. *Inſuper eadem Sacroſancta Synodus conſiderans, non parùm utilitatis accedere poſſe Eccleſiæ Dei, ſi ex omnibus latinis editionibus, quæ circumferuntur, Sacrorum librorum, quænam pro authenticâ habenda ſit, innoteſcat: ſtatuit & declarat, ut hæc ipſa vetus & Vulgata editio, quæ longo tot ſæculorum uſu, in ipsâ Eccleſiâ probata eſt, pro authenticâ habeatur.* Et paulò antè anathemate percuſſit eum qui illam non receperit. Et quamvis Vulgatam Latinam, Græcis, Hebræiſque Codi-

Codicibus, saltèm illis quos nunc habemus prætulisset, nullum foret inconveniens. Verisimiliùs nàmque est Verbi divini puritatem, continuis mille & eo pluribus annis, in Ecclesiâ Latinâ (quę Fidem Deo incontaminatam semper servavit) fuisse magis conservatam, quàm apud Græcos, qui in varios errores inciderunt; aut apud Hebræos, quorum si Codices in suâ puritate remansissent, certissimum est non fore postponendos. De Vulgatâ verò Latinâ ex decreto & usu universalis Ecclesiæ, quod sit authentica constat: maximè cùm ab eâ antè mille annos non potuerit vitiari contrà Lutheri & Calvini dogmata, quæ solùm à centum circiter annis insurrexerunt. Atquè adeò legitimus potiùs illa fœtus dicenda erit: cùm certum sit, quod Ecclesia à primis sœculis & tunc eam approbarît, cùm adhuc fontes in suâ puritate persisterent. De Hebræis autem, & Græcis Codicibus, prout nunc circumferuntur, incertum est, an spuria aliqua substituerint Rabbini, Hæretici, aut Librarii, sive per ignorantiam idiomatum, sive per maliciam.

Quid-

Quidquid exindè obgannit hic noster magister Delphicus, illum Geneſ. loc. 3. 15. *Ipſa cõteret caput tuum*, non eſſe conformem lectioni Hebraicæ, ex eo quod pronomen fœmininum ſubſtituatur, ut dicit, cùm legi deberet in maſculino, manifeſtè errat. Hebræa dictio communis eſt & indifferenter accipitur pro maſculino & fœmino, ut idem ſit quod (ipſa vel ipſe) ut manifeſtum eſt Hebraicæ linguæ peritis. Hanc demùm vulgatam lectionem ſequuntur Auguſt. lib. 2. in Geneſ. contrà Manichæos cap. 18. & lib. 2. de Geneſ. ad literam cap. 36. Chriſoſt. homil. 17. in Geneſ. Ambr. lib. de fugâ ſæculi cap. 7. Bernardus, Beda, Rupertus, Rabanus, Lyranus & alii, ipſa non ipſe legunt. Licuit ergò & Vulgatæ ſenſum ſequi cùm tot Patribus conſonantem, & ab Hebræâ non diſſonantem. Nec ob id quidquam immenſæ Servatoris noſtri JESV gloriæ detractum eſt, cùm nuſquàm dicamus, quod Beatiſſima Virgo MARIA caput antiqui ſerpentis, propriâ virtute, & tamquàm cauſa principalis contriverit, ſolus enim Chriſtus Dominus hâc ratione de

mundo

mundo & ejus Principe victor triumphavit: secundùm illud Psal. 73. 13. 14. *Contribulasti capita draconum in aquis. Tu confregisti capita draconis.* Non ita Virgo Deipara: sed vel occasionaliter contrivit, pariendo nobis Salvatorem sæculorum, qui tàm magnificâ potitus est victoriâ: vel etiam retunditur rebellis Luciferi, mirum in modum caput & superbia, dùm Virgunculæ supereminentissimam horrescens sanctitatem conspicit, & naturam humanam super omnes Angelicos ordines longo intervallo elevatam. Retunditur etiàm per patrocinia sua: retunditur per potestatem sibi à Deo concessam. Quod si Michaeli Archangelo victoriam ex antiquo serpente reportatam Scriptura Sacra Apoc. 12. attribuit, quantò magis Mariæ, Michaelis & omnium Angelorum Reginę tribuenda est?

MOTIVVM XV.

ILlud *Eccl.* 6. 1. Nescit homo, utrùm amore an odio dignus sit: sed omnia in futurum seruantur incerta, *esse corruptum asserit: debere*

debere legi cum Hebræo, Amorem & odium non eſt ſciens homo, ſed omnia ante faciem ipſorum. *Ita verò Romanos depravaſſe ad ſtabiliendam ſalutis noſtræ incertitudinem & diffidentiam: atque ideo etiam verba illa malitiosè addidiſſe v.* 2. ſed omnia in futurum ſervantur incerta.

RESPONDETVR.

Et lectio illa vulgatæ aſtruitur. Vana Sectariorum de ſuâ ſalute præſumptio deſtruitur.

QVidquid hìc cum Calvino, Kemnitio, & ſimilibus hæreticis machinaris, in vanum eſt. Senſus hujus loci in noſtrâ Vulgatâ expreſſus certiſſimus eſt, & textui Hebræo conſentaneus: quem D. Hieron. in hujus loci commentario ſic explicat, *Porrò hic*, inquit, *ſenſus eſt, Inveni juſtorum quidèm opera in manu Dei eſſe, & tamen utrum amentur à Deo, an non, nunc eos ſcire non poſſe: In futuro igitùr ſcient. Et in vultu eorum ſunt, id eſt, antecedit eos, cùm de hâc vitâ deceſſerint, notitia hujus rei: quia*

tunc

tunc est judicium, non certamen. Quæ omnia meliùs dici non potuerunt, quàm per hæc verba, *Nescit homo, utrum amore, an odio &c.* Et cur Romani locum illum adulteràssent, quibus non desunt efficacissima alia Scripturæ testimonia, quibus doctrina illa Catholica solidissimè comprobatur? 1. ad Corinth. 4. 4. *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Subjungit rationem: *qui autem judicat me Dominus est.* Et si tanta sit justorum de suâ salute certitudo (ut perperàm Sectarii præsumunt) cur Propheta Job, quem nullus conscientiæ stimulus reprehendebat, tremens nihilominùs, & in dubio fluctuans, hæc profert c. 9. 28. *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti.*

MOTIVVM XVI.

VErsum illum *Ps.* 98. 5. Adorate scabellum pedum ejus, quoniàm sanctum est, *sicùt præcedentia loca Scripturæ etiàm esse corruptum asserit. Ejus loco legi debere*, Adorate antè scabellum. *Vt indè eruamus creaturarum*

turarum adorationem, ita esse de industriâ à nobis factum.

RESPONDETVR.

Confirmando nostram lectionem, & Crucis adorationem stabiliendo.

TAntum abest, ut in Vulgatâ lectione locus ille fuerit corruptus, quin potiùs pleniſſimè conformis ſit textui Hebræo, ut cuilibet Hebraica exemplaria introſpicienti, ac rem diligentiùs examinanti conſtare poterit: cùm adorare antè, & adorare ſcabellum, ut alibi probabimus, juxtà phraſim Scripturę prorsùs eadem ſint: imò plura loca ſecundùm vocis Hebraicę energiam ſic legi poſſunt. Vbi enim habet Pſal. 131. 7. *Introibimus in tabernaculum ejus, adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus.* Rectiſſimè ſecundùm Hebræum, de verbo ad verbum latinè converſum legi poſſet, *Adorabimus ſcabellum pedum ejus.* Per ſcabellum pedum Dei, olim intelligebatur Arca teſtamenti: nàm 1. Paralip. 28. 2. introducitur Salomon loquens:

quens, *Cogitavi*, inquit, *ut ædificarem domum, in quâ requiesceret arca fœderis Domini, & scabellum pedum Dei nostri* & 2. Reg. 6. 2. *Vt adducerent arcam Dei, super quam invocatum est nomen Domini exercituum sedentis in Cherubim super eam.* Ex quibus apertissimè colligitur, commendatam fuisse à Deo adorationem arcæ testamenti, tamquàm rei sacrę. Eodem quoquè modo nos Crucem Dominicã, in quâ pedes Domini potiori ratione, quàm in arcâ steterunt, tenemur adorare: nec idcircò Idololatrę dicendi sumus, cùm creaturas non sic adoremus, quâ tales præcisè sunt, sed sub formalitate longè diversâ: neque enim Idololatrę dici velint Calvinistę, dùm suos magistratus venerantur.

MOTIVVM XVII.

QVod *Hebr.* 13. 16. Beneficientiæ autem & communionis nolite oblivisci: talibus enim hostiis promeretur Deus; *Lo-cum illum Romana versio perperam legat, ex eo quod legi debeat,* Deus delectatur talibus Sacrificiis.

RESPONDETVR.

Hoc posito, nihil à bonorum operum merito tolli.

HOc dato gratis & non concesso, disputationis vitandę causâ: quid indè contrà nos inferri possit, ubi in idem coincidit, esse gratum Deo per bona opera, & per ea mereri? Nàm si Deus delectatur talibus Sacrificiis beneficentię, & communionis nostrę cum operibus Christi, & Sanctorum, certum est esse grata ipsi, & ex consequenti meritoria: quandoquidèm ex multis locis Sacrę Scripturę dilucidè constet, æternam vitam & gloriam, nobis conferendam esse in mercedem bonorum operum.

MOTIVVM XVIII.

Bonifacium Octavum irridet, quod ad probandam vtramque Ecclesiæ potestatem, Spiritualem & temporalem, Extrav. Vnam Sanctam. de major. & obed. in Comm. usus fuerit illis

illis Discipulorum verbis, Luc. 22. 38. Ecce duo gladii hîc: *quibus Dominus respondit,* Satis est. *Iterùm ad ostendendam utriusque gladii applicationem, ad summum Pontificem Petri successorem pertinere,* Mitte gladium tuum in vaginam, *Ioan.* 18. 11. *Item quod Innocentius III. ex eo quod Deus creaverit duo luminaria magna, potestatem suam probare intendat: eamq; Soli comparet, Imperatoriam dignitatem Lunæ. Tantò Papalem Imperatoriæ excellentiùs præeminere declarans, quantò Solis lumen Lunæ splendorem antecellit.*

RESPONDETVR.

Et legitima hæc applicatio, unà cum Pontificiâ præeminentiâ propugnatur.

VVlgatâ nostrâ expositione relictâ; ad cavillandas nonnullas Summorum Pontificum expositiones calamum tuum transtulisti. Verùm non video quid hic arguas. An quod Scripturę loca præter sensum literalem applicata sint? Superiùs vidimus quàm id optimè fiat. An quod probationes illę doctrinam propositam

non ſatis firmiter demonſtrant? Miror hîc acumen ingenii tui, qui demonſtrationem Theologicam, aut Philoſophicam in eo requiris, qui leges ſancit, & non potiùs majeſtatem, poteſtatem, & imperium. Quamvis & ſufficienter probant, eo probationis genere, quo veritas aliqua Catholica & recepta, per alicujus Scripturę applicationem, ſeu myſticum ejus ſenſum illuſtratur ac roboratur. Homo dùm unam ſententiam profert, vix niſi unum ſenſum ſpiritu limitatus intendit. At Spiritus Sanctus, ut Divinitate immenſus, ita ſenſibus fœcundus, in ſuis verbis plures intendit, non quidèm ſibi contrarios, ſed planè cohærentes: quos interpretandi Eccleſię Sponſę ſuę facultatem conceſſit. Verba illa *Ecce duo gladii hîc*, vix intelliguntur in quem finem prolata ſint, ſi ſoli ſenſui literali inhærendum putes, nec ad myſticum recurras. A quo verò myſticum ſenſum niſi ab Eccleſiâ, ejuſque in terris Capite viſibili, meliùs accipiamus? Forſitan non ita applicationem improbabis, & modum probandi: ſed arrogantiam & præſumptionem in illis ſcriptis, tuo judi-

judicio latentem. Profectò jure merito Summus Pontifex absquè ullâ superbię, aut arrogantię notâ, dignitatis suę præeminentiam Regię & Imperatorię potestati anteponere & potest & debet. Talis est enim excessus sublimitatis & celsitudinis, inter dignitatem & jurisdictionem Pontificiam, atquè Regum & Imperatorum auctoritatem, qualis est inter spiritum & corpus. Si quidèm regimen Pontificium, velùt primarium & principale objectum, animarum in vitam æternam directionem respicit. Regium autem merè & per se in pacificâ & temporali subditorum gubernatione versatur, & ibi sistit. *Quia* (ut inquit Angelicus Doctor lib. 4. de regim. princip. cap. 11.) *Deus providit de eis* (nempè Regibus) *ut regnum regant & gubernent, & unumquemque in suo jure conservent. Et hic est finis regiminis.* Undè & in præcedenti cap. 10. postquàm efficaciter probavit plenitudinem potestatis Petri, & successorum ejus, ex illis Christi verbis, *Quodcumque ligaveris &c.* sibi objicit ac respondet. *Quod si dicatur ad solam referri Spiritualem potestatem, hoc esse non potest.*

test. Quia corporale & temporale ex ſpirituali & perpetuo dependet : ſicùt corporis operatio, ex virtute animæ. Sicùt ergò corpus per animam habet eſſe, virtutem, & operationem, ut ex verbis Philoſophi & Auguſtini de immortalitate animæ patet ; ita & temporalis juriſdictio Principum per ſpiritualem Petri & ſucceſſorum ejus. Hæc S. Doctor, quę & exemplis confirmat. Carolum enim magnum Imperatorem creavit Adrianus Papa, Othonem Leo. Vndè liquidò patet, quod ubicumquè Spiritualis & Eccleſiaſtica gubernatio à ſæculari poteſtate dependet, eiąue ſubditur, ibi planè ordo ſit præpoſterus & diſtortus, nec commodè, imò nec ſufficienter de animarum ſalute ſit ibidèm proviſum. Vbi Reges & Principes Eccleſiaſticę juriſdictionis poteſtatem non uſurpant : ſed permittunt, & imperant, ut reddantur quę ſunt Cæſaris Cæſari, & quę ſunt Dei Deo, ibi rectè inſtituta eſt Reſpublica. Quicumque enim Sacerdotes Dei per quem k eges regnant, & legum conditores juſta decernunt, ſuſpiciunt & venerantur, à Deo Opt. Max. in quem miniſtrorum ſuorum honor

honor redundat, amplam remunerationem exſpectant. Deniquè Sacerdotalis dignitatis præeminentiam abundè colligimus Num. 27. 14. & 18. ubi Moyſes inſtantem ſibi mortem præſentiens, de ſucceſſore ſollicitus ſic oravit, *Provideat Dominus Deus ſpirituum omnis carnis, hominem qui ſit ſuper multitudinem hanc* &c. *dixítque Dominus ad eum, Tolle Ioſue filium Nun, virum in quo eſt Spiritus, & pone manum tuam ſuper eum, qui ſtabit coràm Eleazaro Sacerdote* &c. & v. 21. *Pro hoc, ſi quid agendum erit, Eleazar Sacerdos conſulet Dominum: ad verbum ejus egredietur ipſe, & omnes filii Iſraël cum eo.* Vbi hoc ſanè animadverſione dignum eſt, quod Joſue vir Divino Spiritu plenus, ingredi & egredi debebat ad verbum Eleazari Sacerdotis: adeòque ab eodem doceri & inſtrui, quod eſt verum Sacerdotis & Pontificis munus. Ex hoc loco, ſicùt & cæteris plurimis, Principum ſæcularium à Pontifice dependentiam jure divino traditam videmus. Joſue populi Iſraëlitici Dux ſtare debebat coràm Eleazaro Sacerdote, non ſedere: ut colligamus, quem debeant honorem Princi-

pes Statui Ecclesiastico. Simile refert Suidas de Sancto Leontio Episcopo, qui ab Eusebiâ Constantii Cæsaris conjuge rogatus, ut ad aliqua negotia pertractanda eam inviseret, sinè morâ respondit: Si me ad te venire desideras, mihi reverentiam Episcopis debitam exhibe: ut statim atque pedem in tuam aulam intulero, mox è solio tuo sublimi descendas, atquè venienti mihi cum pudore occurras. Postmodùm ego sedeam: tu verò stes, donèc per me tibi fiat sedendi facultas. Si acquiescis, te invisam: sin minùs, scias quod nusquàm impetratura sis, quod honori Sacerdotali, iure divino firmato, fiam injuriùs. Hæc Leontius. Hunc Sanctum Episcopum Sectarii fortè præsumptionis & superbiæ accusabunt, qui talem sibi reverentiam ab Imperatrice deferri voluerit. Verùm hîc nihil superbiæ, nihil præsumptionis quod carpi possit: cùm illum honorem personæ propriæ deferri non quæsiverit, sed dignitati, non Leontio, sed Episcopo, non sibi, sed Deo, cujus vices Ecclesiæ ministri obeunt, & in cujus honorem honor ille refundebatur. Probè enim vir Dei noverat,

quod ipſe Chriſtus inter ſalutaria, quæ nobis reliquit, præcepta, unum hoc eſſe voluerit, Eccleſiæ Prælatos eſſe colendos: neque modò ſanctos & perfectos, ſed ipſos etiàm Scribas & Phariſæos, ſuper Cathedram Moyſis ſedentes.

MOTIVVM XIX.

QVod verſio quædam Gallica Sacræ Scripturæ edita Pariſiis anno 1538. *typis Antonii Bonne-mere, valdè infida ſit, multis mendis ſcateat, multa habeat addita, multa deleta. Idque Romanæ Eccleſiæ imputat, ut jaciat fundamenta errorum.*

RESPONDETVR.

Hujuſmodi tranſlationes non approbat, imò reprobat Eccleſia.

HIc non ſatis ſibi conſtat noſter Miniſtellus. Superiùs Eccleſiam Romanam arguit, quod Bibliorum in linguam vernaculam tranſlationes non ſolùm non approbet, ſed etiàm Laicos ab earumdèm lectione avertat: nunc

Gallicam editionem illam, quòd mendosa sit, nobis impingit. Hîc iterùm repeto quod Sancta Ecclesia Catholica nullam editionem Gallicam pro authenticâ habeat, nec facilè eas cuicumque permittat, tùm ob rationes supra deductas, tùm etiàm ob eam, quod interdum priuatorum hominum, & non rarò Hæreticorum auctoritate tales translationes fiant, quæ cum vulgatâ Latinâ non sint conformes. Vndè errores similes privatis hominibus potiùs tribuendi sunt, quàm Ecclesiæ: quæ tantum abest, ut auctrix illorum sit, quin potiùs severissima castigatrix. Quare non est, quod ego (qui non particulares abusus, sed Ecclesiam defendendam suscepi) in hujus translationis defensione laborem; nec in iis, quæ ipsi, aut imponuntur, aut de eâ referuntur, refellendis operam perdam; cùm contrà nos non militent. Præsertim cùm facta sit eo præcisè tempore, quò hæreses in Galliâ grassabantur. Ac propterea prudentissimè isti malo occurrerunt Doctores Academiæ Lovanienſis, qui Gallica Biblia castigarûnt & correxerunt, secundùm Vulgatam Latinam: ut

illi

illi qui Gallicis uti debitâ cum facultate voluerint, illa saltèm emendata & correcta reperiant.

MOTIVVM XX.

QVod locus ille Math.4. 17.(quem ipse hoc modo legi vult, Emendate vos, appropinquavit enim Regnum Cœlorum, aut per hæc verba, amendez vous, &c.) falsificatus sit dùm legitur, Pœnitentiam agite, appropinquavit enim Regnnm Cælorum: *ut indè Romana Ecclesia eruat, quod Cælum per opera meritoria, & Pœnitentiæ acquiri debeat.*

RESPONDETVR.

Et Pœnitentiæ necessitas, simùl & loci illius cum suis fontibus concordia demonstratur.

EXcederet instituti mei rationem, hîc plura infidelitatis vestræ, quæ in interpretandis Scripturis plusquàm in mille locis apparet, argumenta adferre: cùm hoc ordinarium vobis sit Scripturas corrum-

corrumpere, ubi vobis adversantur. Sufficiet quod dicamus, te & tuos hunc potiùs locum adulterâsse, ut opera pœnitentiæ, quæ odistis, rejiciatis; quàm nos dùm legimus *Pœnitentiam agite*. Nequè enim ad hoc nos ulla ratio cogere potuisset, cùm aliundè satis bonorum operum & Pœnitentiæ necessitatem possimus astruere. Lutherus, Calvinus, & alii per Pœnitentiam tàm seriò à Christo Domino toties commendatam, intelligunt simplicem peccandi desistentiam absquè positivâ pœnitudine, & offensionis divinæ tùm internâ, tùm externâ detestatione. Verùm hic error jàm pridèm in Ecclesiâ damnatus, apertè falsitatis convincitur multis argumentis. Primò quia manifestè justitiam Dei destruit, cujus interest, nulla crimina impunita transire, saltem per pœnam aliquam: quæ si voluntariè suscipitur cum intimo cordis dolore, in sanguine Domini nostri JESV CHRISTI faciliùs peccatum abluitur: sin minùs voluntariè, minùs exactè. Licèt enim sanguis divinus de se sufficientissimus sit, ut emundet nos ab omni peccato: æterna tamen

men Dei Majeſtas diſpoſitionem aliquam in nobis requirit; nempè ut arreptâ Cruce, Chriſtum ſequamur, ſaltèm ex parte, in acerbiſſimâ ejus Paſſione. Atquì ſi ſufficeret ſimplex deſiſtentia, nec aliquis de præteritâ culpâ dolor ad minùs requireretur, peccata noſtra omnimodè remanerent impunita, & nos nullâ ratione ejus Paſſioni compateremur: quod divinæ juſtitiæ manifeſtiſſimè adverſaretur. Secundò patet ab exemplo lachrymarum Petri, Magdalenæ, & aliorum, qui nuſquàm contenti fuerunt ſimplici deſiſtentiâ. Ipſa quoquè Filii prodigi parabola clariſſimè intento noſtro ſervit, quàm Dominus noſter JESVS, Luc. 15. 11. & ſeq. in typum & exemplum peccatorum, Eccleſiæ ſuæ proponit. Cùm enim ſubſtantiam ſuam vivendo luxuriosè diſſipâſſet, pœnitentiâ ductus, ſic Patrem alloqui proponit, verſ. 18. & 19. *Pater, peccavi in Cœlum, & coràm te: jàm non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicùt unum de mercenariis tuis.* In quibus verbis, tres pœnitentiæ partes non obſcurè deſignantur, Contritio ſiue pœnitentia interior, quia priùs intra ſe illa ver-

la verba concepit, doloris peccatorum præteritæ vitæ ſignificatiua. Exindè illa ipſa Patri ore proprio manifeſtavit: ibi eſt Confeſſio, ſeu ſuiipſius humilis accuſatio, quam illis verbis exprimit, *Peccavi*, *Non ſum dignus &c.* Poſtremò cum dicit; *Fac me ſicùt unum de mercenariis tuis*, ſe promptum paratumque exhibet, ad exteriorem pœnitentiam ſuſcipiendam, ad opera videlicet pœnalia & laborioſa, in quibus verſatur ſatisfactio. Non itaque conſiſtit pœnitentia in ſimplici à peccatis deſiſtentiâ. 3. Patet ex diverſis aliis locis: Luc. 5. 32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam.* Item Luc. 15. 7. *Gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore pœnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, qui non indigent pœnitentiâ.* & Ioel 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & in fletu, & in planctu.* & Job ult. 6. *Idcircò me reprehendo & ago pœnitentiam in fauillâ & cinere.* Et Math. 11. 21. *Olim in cilicio & cinere pœnitentiam egiſſent.* Quis ſanè mentis talia de ſimplici reſipiſcentiâ intelligat, quæ tam expreſsè mentis & corporis afflictionem ſignificant? Illud Ezechiæ addo

Iſa. 38.

Isa. 38.15. *Recogitabo tibi omnes annos meos, in amaritudine animæ meæ.* Et illud 2. ad Cor. 7.10. *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Vnde qui hujusmodi pœnitentias cum peccatorum dolore suscipiunt, gratiam & reconciliationem cum Deo, à Spiritu Sancto consequuntur: ut videre est ex Ps. 33.19. *Iuxta est Dominus iis qui tribulato sunt corde.* Vbi Augustt. & Basil. pro *tribulato*, legunt *contrito.* Psal. 50. 19. *Cor contritum & humiliatum Deus non despicies.* Isa. 66. 2. *Ad quem autem respiciam, nisi ad pauperculum, & contritum spiritu.* Secus delicatuli Sectarii, qui ut compunctionis animi, & pœnitentiæ degunt expertes, ita illos Dominus non respicit, sed despicit, & longè ab illis est, quoniam tribulato corde esse contẽnunt. Quod si dolor ille de peccatis commissis inutilis est, cur quæso diuina bonitas peccatores tam sæpè ad eum incitat? Genes. 3. 13. mulierem ad contritionem vocat, *Quare hoc fecisti?* & Genes. 4.10. *Quid fecisti?* & Isa. 68. 1. *Clama, ne cesses & annuntia populo meo scelera eorum* & Jerem. 8.6. *Nullus est qui agat pœnitentiam super peccato suo, dicens,*

dicens, quid feci? Hæc adeò clara ſunt ut veritatis hujus Catholicæ ſplendor, etiàm veſtrum Calvinum non præterfugerit. Ille enim lib. 3. Inſtitut. c. 4. §. 2. *Equidèm ſedulò*, ait, *& acriter inſtandum eſſe fateor, ut quiſque amarè deflendo ſua peccata, ſe ad eorum diſplicentiam & odium magis acuat.* Et Kemnitius non inferior tali magiſtro diſcipulus, noctua cũ noctuis, illud etiàm non poteſt diffiteri. 2. p. examinis. p. 954. inquit, *Hinc ſequitur dolor conſcientiæ graviter dolentis ſe peccaſſe, & peccatis offendiſſe Deum. Incipit igitùr peccatum odiſſe & deteſtari.* Has rationes & auctoritates alia ratio Theologica ab omnibus communiter recepta, mirum in modum corroborat, atquè irrefragabiles reddit. Peccatum enim, iuxtà communem Theologorum ſententiam, eſt averſio voluntatis à Deo, & converſio ad creaturam, in hâc ultimum finem appretiativè conſtituendo: hoc eſt, præferendo cum aliquâ complacentiâ & amore bonum creatum & commutabile, bono increato & incommutabili, quod eſt Deus. Igitùr ut deleatur tale peccatum, & voluntas ad primum rectitudinis ſtatum rediga-

redigatur, neceſſum eſt, ut actum ex diametro contrarium eliciat: nimirùm ut avertat ſe à creaturâ cum aliquâ diſplicentiâ & odio, & cõvertat ſe totam ad Deum, per actum dilectionis, quâ tenetur diligere Deum ſuper omnia: In quo verè & propriè conſiſtit actus contritionis. Quomodò ergò cum hâc certiſſimâ & ab omnibus approbatâ doctrinâ ſubſiſtere poteſt veſtra ſimplex à peccando deſiſtentia, quæ nullum ex ſe animi motum, nullam averſionem poſitivam à creaturâ, & converſionem ad Creatorem importat? Longè aliter quàm vos, converſionem iſtam, dùm toties eam nobis inculcat, intellexit Spiritus Sanctus, eam enim ſæpius cum intimâ cordis, atquè interdùm etiàm corporis afflictione conjunxit; ut Joel. 2. 12. *Convertimini ad me in toto corde veſtro, in iejunio, & in fletu, & in planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra.* Et id genus alia variis in locis. Ex his manifeſtè patet, quod pœnitẽtiæ neceſſitas aliundè, quàm ex illo Matthæi loco controverſo, abundè probatur: adeòque nulla neceſſitas Catholicos compulerit, ad illam lectionem cor-

rumpendam. Sola igitùr vera & genuina lectio Interpretem noſtrum Vulgatum movit, ut *Pœnitentiam agite* diceret, non reſipiſcentiam. Quem etiàm ſecuti fuerunt antiquiſſimi Patres, Tertullianus, Cyprianus, Chriſoſtomus, Auguſtinus, Ambroſius,& alii:apud quos reſipiſcentiæ nomen eſt rarum; pœnitentiæ & μετανόιας familiariſſimum, plerùmque ſemper cum aliquo vel corporis vel animi dolore conjunctũ. Quod quidèm temerè ab ipſis factũ non eſt, ſed ex ipſo fonteHebrẹo hauſtum; in quo habetur verbũ *Nacham* quod ab illius linguæ peritis, & paſſim ab ipſis Septuaginta Interpretibus per μετανόειν Græcè redditur. Hoc autem verbũ Græcum probatiſſimi quique Auctores, ubicùmque ſubjectum id ferre poteſt, aliquem de præteritis dolorem connotare intellexerunt. Id ipſemet Beza de Auſonio & Plutarcho fatetur: quamvis inſolenti,ut ſolet, arrogantiâ, ipſis & Auctorum torrenti contradicat. Vt vel indè appareat quod antiquas vocum ſignificationes maluit corrumpere, ut errori ſuo faveat, quã cũ Eccleſiâ Catholicâ recte ſentire. Apage igi-

ge igitùr quisquis pœnitentiam, quâ Deo reconciliamur, de medio tollis: & per hoc verus animarum seductor à remedio, lapsis ad resurgendum planè necessario, peccatorem retrahis. Apage quisquis animas per viam pœnitentiæ arctam, quæ ducit ad vitam, ambulantes revocas: & provocas ad contrariam & latam, quæ ducit ad perditionem. Vos increpat Paulus ad Philip. 3. 18. & 19. *Multi enim ambulant, quos sæpè dicebam vobis (nunc autem & flens dico) inimicos crucis Christi, quorum finis interitus.* Inimicos, inquam, pœnitentiæ, contritionis, mortificationis; amicos ventris, commoditatis, & deliciarum. Illa est pura illa & syncera, quam ore dumtaxat prædicant Sectarii, Evangelicæ doctrinæ observantia.

MOTIVVM XXI.

QVod in illis Bibliis Gallicis suprà laudatis, ad illa verba Luc. 23. 44. Hodie mecum eris in paradiso, *additum sit maliciosè quoddam glossema, quo astruatur Limbus.*

RESPONDETVR.

Limbum Patrum ex Scripturâ confirmando.

QVidquid ſit de illâ trãſlatione, in quâ non immoror, vera, orthodoxa, & Catholica, communi Sanctorum Patrum & Doctorum calculo approbata eſt doctrina, quę de Limbo traditur, & de Chriſti Victoris in illum adventu. Illorum teſtimonia non refero, utpotè quę nihili facias. Ex Scripturis oſtendo 1. ex illo Zach. 9. 11. ubi Propheta, Chriſto de morte per mortem ſuam triumphanti lætum Pœana canens, ſic effatur. *Tu quoquè in ſanguine teſtamenti tui emiſiſti vinctos tuos de lacu, in quo non eſt aqua.* Reſpondet Calvinus l. 2. Inſtit. cap. 16. §. 6. per lacum ſine aquâ intelligi Babylonicæ captivitatis profunditatem: ſed ex ſuo cerebro deſumpta eſt hæc interpretatio. Nàm præterquàm quod Divinæ Literæ, cùm de eâ, ad quam abducti ſunt captivi Iſraëlitæ, provinciâ loquuntur, magis indicant locum fuiſſe

fuisse paluſtrem & aquoſum, quàm ſine aquâ. Deindè etiàm apertè eo capite vaticinatur Zachar. de Chriſto, ut ex contextu patet, & maximè illis verbis v. 9. *Exulta ſatis filia Sion &c. Ecce Rex tuus veniet tibi, Iuſtus & Salvator &c.* SS. Ambr. & Hilar. illud Pſalm. 106. 16. *Contrivit portas æreas, & vectes ferreos confregit*, intelligunt de deſcenſu Salvatoris noſtri ad inferos. Eccli. 24. 45. *Penetrabo omnes partes inferiores terræ, & inſpiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes ſperantes in Domino.* Mat. 12. 40. *Sicùt enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ſic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus.* Hîc iterùm Calvinus pro phantaſiæ ſuæ libitu, aſſerit cetum, mortis aut ſepulchri figuram prætuliſſe. Sed quidquid ſit de figurâ, conſtat ex hoc ipſo loco, quod Chriſtus fuerit realiter in corde terræ tribus diebus, hoc eſt in meditullio ipſius, aut circitèr; ſicuti cor ferè in medio eſt cuiuſque animalis. Nequè dici poteſt de ſepulchro, cùm fuerit in ſuperficie terræ; nequè de corpore Chriſti exanimi, cùm non fuerit in terram, aut pulverem redactum, utpotè

cui datum sit non videre corruptionem. Atquè adeò de Limbo intelligi debet, quem S. Mater Ecclesia situm esse in medio terræ hactenus credidit. Et confirmatur per illud Ephes. 4. 8. Vbi Apostolus triumphum Christi exponens, inquit, *Captivam duxit captivitatem &c.* & v. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ?* Et Regius Vates in personâ Christi Psal. 15. 10. *Quoniam*, inquit, *non derelinques animam meam in inferno*, animam meam, non corpus. Quis verò dixerit animam Christi fuisse in sepulchro? expressè dicit, *in inferno*: & quamvis vox *Seol* hebraicè sepulchrum simùl & infernũ significet; attamen Chaldeus, Septuaginta, & Hieron. Infernum non sepulchrum transtulerunt. Et nè sit dubitandi locus, ipse S. Luc. Act. 2. 27. referens illum eumdem versum pro voce *Seol.* Græcè dixit ᾅδην, quæ manifestè infernum significat. Gen. 37. 35. Jacob Joseph perditum lugens, *Descendam*, ait, *ad filium meum lugens in infernum.* Non existimabat Jacob, se tunc in cœlum post obitum suum ascensurum, sed descensurum

in infer-

in infernum: non quidèm damnatorum, cùm juſtus eſſet; ſed in aliquem alium locum ſubterraneum. Hæc locorum infernalium diverſitas, ſatis innuitur Luc. 16. 23. Vbi dives ille ſepultus in inferno, *Vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Vidit in inferno; ſed tamen à longè, id eſt, intercedente magno inter utrumque locum intervallo. Deniquè hoc ipſum ſatis oſtenditur ex Samuelis Sauli apparentis hiſtoriâ. 1. Reg. 28. 12. & ſeq. Qui non viſus eſt de cœlo deſcendere, ſed potiùs de terrâ, aut aliquo loco ſubterraneo. Quod autem non imaginariè, aut ex præſtigio anima Samuelis apparuerit, ſatis indicant ipſa Scripturæ verba cap. & verſ. citatis. *Cùm autem vidiſſet mulier Samuelem &c. Dixit ad Saul &c.* Item, *Intellexit ergò Saul quod Samuel eſſet &c. Dixit Samuel ad Saul &c.* Et ampliùs declaratur Eccli. 46. 23. ubi inter laudes Samuelis connumeratur, quod pòſt obitum ſuum prophetarît. *Notum fecit Regi, & oſtendit illi finem vitæ ſuæ, & exaltavit vocem ſuam de terrâ in Prophetiâ.* Quę ſi per ſpectrum, aut dœmonem geſta fuiſſent, perperàm inter Samuelis laudes idipſum

computaretur. Ipſe itaque eſt, qui apparuit exiens è terrâ; ut certum fiat, concedendum eſſe locum aliquem ſubterraneũ, in quo ante Aſcenſionem Dominicam, juſtorum animæ Redemptoris ſui adventum expectabant.

MOTIVVM XXII.

QVod *in Gallicâ illâ editione memoratâ, verba Apoſt.* 1. *ad Cor.* 14. 18. Gratias ago Deo meo, quod omnium veſtrûm linguâ loquor, *corrupta ſint, & legatur*, qui omnium veſtrûm linguâ loquitur, *eo fine, ut Romani in Sacrificiis ſuis linguâ incognitâ utentes, rectè facere doceantur, quaſi ſufficiat eam Deum intelligere. Quod etiàm verſus ſequens ſit truncatus, & illa verba omittantur*, ut alios inſtruam, *ob eundem, & ſimilem finem.*

RESPONDETVR.

Veram lectionem divinis Officiis latino ſermone peragendis nihil officere.

QVid prætenderit illa verſio Gallicâ mihi curæ non eſt. Certum interim eſt,

est, quod sensus Pauli illo loco sit, quod licèt obtinuerit donum linguarum, ut cæteri Apostoli : tamen uti nequaquàm velit linguâ incognitâ ad ostentationem, & sinè fructu : sed in Ecclesiæ ædificationem verbis paucis, ut alios instruat intelligibiliter. Hoc facit Ecclesia Catholica, quę etsi latino sermone officia divina peragat (quæ non sunt tàm ad instructionem, quàm ad orationem & cultum divinum) interpretatur tamen sacra mysteria linguâ vernaculâ ad populum, non ad ostentationem, sed ad ædificationem, & instructionem. Aliàs enim indoctis omnia pandere, magis cederet in ejus destructionem, ut suprà diximus. Mavult autem Apostolus quinque verba intelligibilia ad aliorum instructionem loqui, quàm copiosâ uti verborum farragine, ut solent Sectarii : qui majorem eloquentiæ impendunt operam, ut flosculis Rhetoricis errorum suorum venenum contegant ; quàm veræ sapientiæ, quæ mentem reficit, & vivificat. Deniquè loqui linguâ hâc vel illâ, ex se indifferens est. Si fiat ad ostentationem, vanam gloriam, aut ob similem

milem finem, vituperabile eſt: ſi propter rationabilem aliquam cauſam, velùti cùm non habeatur alia tranſlatio approbata, nè vulgus ob ſuam imperitiam, neſciens ſcrutari ea quæ ſunt ſpiritus, nimis inhæreat litteræ, in ſuam ipſius ruinam; honeſtum planè & laudabile eſt.

MOTIVVM XXIII.

ILlud *Pauli ad Hebr.* 10. 17. & 18. Peccatorum & iniquitatum eorum jàm non recordabor ampliùs. Vbi autem horum remiſſio, jàm non eſt oblatio pro peccato, *dicit in dictis gallicis Bibliis non eſſe fideliter tranſlatum, eo quod ultima illa verba* jàm non eſt oblatio pro peccato, *nequitèr omiſſa ſint, eo quod Sacrificio Miſſæ, precibus, anniverſarijs, & ſuffragijs pro defunctis, directè repugnent.*

RESPONDETVR.

Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium ſtabiliendo.

HÆc ſi omiſſa ſint, indubiè malè omiſſa ſunt. In tranſlatione gallicâ editâ

ditâ Lugduni & à Lovanienſibus correctâ, & in aliis editionibus, ſi quæ ſint, receptis, nè vel apex quidèm illorum verborum omiſſus reperitur. Quod verò illa Sacroſancto Miſſæ ſacrificio, anniverſariis & ſuffragiis pro defunctis expreſsè adverſentur, apertiſſimè falſum eſt. Nihil enim aliud prætendit Apoſtolus, ut ex ejuſdem capitis contextu ſatis luculenter apparet, quàm perſuadere Hebræis holocauſta & ſacrificia Moſaicæ legis, quæ pro peccato offerebantur, & peccatum non delebant, inanes umbras & inefficacia fuiſſe remedia. Quod oſtendit illis verbis v. 4. *Impoſsibile enim eſt ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata*, ſolummodò JESVM CHRISTVM Dei filium in arâ Crucis ſeipſum veram hoſtiam, Deo placentem, immaculatam, pro omnium peccatis obtuliſſe, cujus pretioſiſſimo ſanguine redempti & abluti ſumus. Nos verò in incruento Miſſæ ſacrificio non aliam præter hanc eamdem hoſtiam offerimus: nec aliud intendimus, quàm cruentum illud, quo in Cruce facta eſt copioſa redemptio, iterùm atquè iterùm proponere

& applicare. Nequè humanum eſt commentum, ſed divina promiſſio, divina inſtitutio, imò mandatum divinum. Hanc oblationem Spiritus Sanctus per Malach. c. 1. 11. Eccleſiæ ſuæ diù antè prædixerat. *Ab ortu enim ſolis uſquè ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus, & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Vbi præſens pro futuro, more Prophetico ponitur. Nequè locus iſte de ullâ aliâ oblatione, præterquàm de ſacrificio Miſſæ concinnè interpretari poteſt, quod in omni loco & natione, hodiernâ die ſacrificatur & offertur in Gentibus, hoc eſt, in Eccleſiâ, quæ maximâ ex parte ex Gentibus ad Deum converſis congregata eſt, & per univerſam terram diffuſa. Sacrificia verò Judæorum, extrà Judæam non offerebantur, atquè hîc Propheta eadem ceſſatura prædicit. Sacrificia Gentilium non fiebant nomini divino, ſed dæmoniis. Deniquè ſacrificia impropriè dicta, quale eſt ſacrificium laudis, juſtitiæ, bonorum operum, per illam Prophetiam nullâ ratione intelligenda veniunt, tùm quià ex adverſariorum ſententiâ, nulla opera

opera noſtra, bona & munda ſunt, ſed omnia ſicùt pannus menſtruatę; ergò non ſunt oblatio munda. Tùm quia apertè loquitur Malach. de aliquo verò & propriè dicto ſacrificio, quod veris Judæorum ſacrificiis opponit, iiſque ſubſtituendum prænuntiat. Reſtat igitùr ut de ſacrificio Miſſæ intelligatur. Hanc etiàm inſtituit ſimul & mandavit Chriſtus, quando Apoſtolis, & in ipſis omnibus Sacerdotibus Luc. 22. 19. dixit, *Hoc facite in meam commemorationem.* Quem locum etiàm Paulus commemorat 1. ad Corinth. 11. 24. Notandum verò quod verbum *facere* ſæpè in ſacris Literis pro *ſacrificare* uſurpetur, ut Levit. 23. 19. *Facietis & hircum pro peccato.* & Ezech. 45. 22. *& Faciet Princeps in die illâ pro ſe, & pro univerſo populo terræ, vitulum pro peccato.* Quare per hoc *facite* rectè, *ſacrificate* intellexeris: non quomodolibèt, ſed in meam commemorationem, id eſt, cruentum illud Sacrificium, quod mox oblaturus erat, & non aliud, per incruentum commemorando. Quod autem veriſſimum ſit Sacrificium ex ipsâ definitione deducitur. Nihil enim eſt aliud quàm

oblatio

oblatio religioſa ſoli Deo facta, circà quam aliquid exteriùs exercetur, cum immutatione rei oblatæ. Sed hæc circà Euchariſtiam fiunt: nàm ſoli Deo offertur, benedicitur, conſecratur, elevatur, frangitur, conſumitur: ergò eſt veriſſimum Sacrificium. His accedit communis Sanctorum Patrum à principio naſcentis Eccleſiæ conſenſus. Inſtar omnium profero Conc. Nicenum can. 4. cæteraque Conc. œcumenica, quę paſſim docent, non habere Diaconos poteſtatem Sacrificia offerendi: ſed id ſolis Sacerdotibus congruere. Quare verè ſtultiſſimum eſt, contrà omnium antiquorum Doctorum torrentem, hanc veritatem Catholicam negare: idquè unico illo fundamento verborum Pauli ſuperiùs allegatorum, & malè intellectorum. Dùm enim ipſe loquitur de ſolis legis Moſaicæ Sacrificiis, ſecundùm ſubjectam materiam, Novatores illam intelligunt de hoc ſacroſancto incruentæ oblationis myſterio, quę nihil cum legis antiquę Sacrificiis, niſi quantùm umbra cum corpore, commune habet. Et ut meliùs percipiatur, quàm in hujus loci explicatione

catione fallantur, ſi quid contrà Miſſæ Sacrificium valeret, militaret etiàm, ex mente Sectariorum, contrà omne opus bonum, quod Calvinus & alii (licèt erroneè) verum eſſe Sacrificium aſtruunt: nàm pari evidentiâ concluderet. Vt ſi dicamus. Vbi peccatorum remiſſio facta eſt in arâ Crucis, jam non eſt oblatio boni operis, jàm non eſt Sacrificium laudis, Sacrificium juſtitię pro peccato, jàm non eſt Baptiſmus in remiſſionem peccatorum: licèt dicatur Joa. 3. 5. *Niſi quis renatus fuerit &c.* Iàm non eſt facienda eleemoſyna, licèt Spiritus Sanctus nos admoneat, Danielis 4. 24. *Peccata tua eleemoſynis redime.* Omnia enim iſta, ſecundùm Calvinum, ſunt vera Sacrificia. Ex quibus apparet quàm ineptè Sectarii noſtri ex illo loco argumententur, ut impugnent ſacroſanctum Miſſæ Sacrificium.

MOTIVVM XXIV.

CAtholicos hujus corruptionis in Gallicis illis Bibliis factæ auctores aſſerit: idquè (ut cæteras ejus nugas tranſeamus) fraudulentâ, inquit,

quit, pietate, nè animarum commercium in Eccleſiâ Romanâ ceſſaret, & fertilis campus Indulgentiarum & Iubilæorum ſterileſceret.

RESPONDETVR.

Antiquum Indulgentiarum uſum falſis teſtimonijs non indigere.

NVgas occinis. Quaſi verò indigeamus illius verſionis Gallicæ corruptione, aut cujuſquàm alterius; aut quâpiam piâ, ſive impiâ fraude opus foret ad probandam Indulgentiarum concedendi facultatem, penes Eccleſię Prælatos reſidere: quibus claves regni cœlorũ traditæ ſunt Math. 16. 19. quibus ſolvendi ſuper terram, ſicùt & in cœlis, data eſt abſquè controverſiâ poteſtas. Recenſe nobis, ſi potes Hæretice, vel unicum probatum authorem Catholicum, qui falsâ illâ & corruptâ (ut ſuſponimus) tranſlatione uſus fuerit ad Indulgentiarum defenſionem. Certè etiàm nunc abſquè illius patrocinio, & multis antè ipſam ſæculis, ab ipſis Eccleſiæ primordiis, viguit ſemper inter Ortho-

Orthodoxos Indulgentiarum uſus. Hoc prima & œconomica Patrum Concilia ſatìs teſtatum nobis reliquerunt. Ancyranum paſſim, Neoceſarienſe c. 3. Nicenum cap. 1. & 2. Carthaginenſe quartum c. 75. Agathenſe c. 60. Qui igitùr tot teſtes omni exceptione majores habuimus, cùr falſarios ſubornaremus? Quamobrem majori cum fundamento, ego inter vos animarum cõmercia tractari dixero, & planè veriùs: quàm id ullus Novatorum oſtenderit de nobis aut Romanâ Eccleſiâ, quæ animarum ſaluti impenſiſſimè ſtudet.

MOTIVVM XXV.

QVod Romana Eccleſia pari infidelitate, quâ ſacras Litteras tractavit, eas paſſim corrumpendo, proceſſerit ad Sanctorum Patrum ſcripta, plurimis in locis ea mutilando, & delendo illa quæ Conc. Trid. decretis adverſabantur: nè acutiores & illuminatiores qui de numero ſimplicium, id eſt, ignorarorum, ut ait, Religioſorum non ſunt, deveniant in cognitionem, atquè advertant antiquorum Patrum ſententias novitatibus impiis Romanæ Eccleſiæ ut

plurimùm contravenire. Cùm verò nec sic illi, quibus mutilandi provincia commissa erat, eum quem intendebant finem consequi possent, nisi planè abraderent, quod fieri non poterat: artificiosâ inventione asseruerunt, illorum Patrum sententias cautè legendas; & vel planè negandas, vel excusandas, aut plausibiliter interpretandas.

RESPONDETVR.

Quis pluris faciat Patrum scripta, Catholici, an Calviniſtæ?

VTrobiquè impostor est Delphicus minister. Circà Sacras Litteras superiùs vidimus; circà Sanctos Patres id numquàm de nobis probaverit; sicùt nec in aliis. Cùm verissimum sit in Ecclesiâ Romanâ, quæ verè Catholica est, puros & incorruptos SS. Patrum & Ecclesiæ Doctorum libros hùc usquè fuisse integrè cõservatos, & pœnè omnium etiamnum originalia exstare. Verissimum, quod hùcusquè eorum doctrinam, quos ut veros semper Magistros & Fidei nostræ luminaria Ecclesia

Ecclesia semper venerata est, tamquàm de cœlo lapsam suspexerit, atquè secuta sit. Nequè enim deprehendi potest aut probari, quod à sententiis rectè intellectis, SS. Augustini, Gregorii, Hieronymi, Ambrosii, Dionisii Areopagitæ, Basilii, Chrisostomi, Nazianzeni, utriusque Cyrilli, Epiphanii, Hilarii, Bernardi, Thomæ Aquinatis, nè vel in apice quidèm, in rebus Fidei hactenùs recesserit. Et maximè de Augustino ausim asserere, præter ea quæ ipsemet retractavit (in quibus etiàm nihil ex Augustini mente intellectum Fidei contrarium erat) cætera omnia ab ipso tradita integerrimè observari, & ab omnibus Catholicis Doctoribus magnâ cum veneratione suspici. Quod si nonnulli alii antiqui Patres in quosdam humanitùs errores delapsi sunt, ut Tertullianus, Cassianus, & alii, hos sacrosancta Concil. Oecumenica modestè correxerunt: imò nè correxerunt quidèm, sed libris eorum integris ad nos usquè transmissis, quinam errores, quinam scopuli nobis vitandi sint, digito demonstrârunt: & si quid saniori interpretatione in Catholicum sensum reduci potuit, inter-

pretandum magis reverenter, quàm errori vertendum duxerunt. Verùm non possum non mirari, quod Rabbinus noster cum suis assectis, hoc Sacræ Romanę Ecclesię vitio vertat, cùm falsò asserere non dubitaverit Sanctorum Patrum scripta, & nominatim Augustini, pluribus in locis cum seipsis pugnare, atquè ob frequentes contradictiones sibi esse suspecta. Voluit procul dubiò omnes Sanctos Patres Calvinistico spiritui conformiter corrigi, ne dicã fœdari, ut sic eos sequeretur; & hoc privatâ auctoritate & judicio proprio: ubi Catholici omnes, non nisi quod communis Ecclesię consensus, per eos qui in Cathedrâ Petri sedent corrigendum judicavit, correctum desiderant.

MOTIVVM XXVI.

QVod Catholici enormissimum, ut putat, & maximè execrabile sacrilegium perpetrent, imò peccatum suum vehementer aggravent, prævaricando illud præceptum Deuter. 4. 2. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. *Item Proverb.*

Proverb. 30.6. Ne addas quidquàm verbis illius, & arguaris, inveniarisque mendax. *Et Apocal.* 22. 18. & 19. Contestor enim omni audienti verba Prophetię hujus: si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto, & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ. *Ad has minas vult ut Romana Ecclesia exhorrescat.*

RESPONDETVR.

Quod adversarii in illorum locorum, perperàm ab ipsis intellectorum transgressionem potiùs incidant, quàm Catholici.

HÆc loca Scripturæ Doctor noster Delphicus, vel intelligit de solo Verbo scripto excludendo non scriptum, vel de utroque simùl. Si de solo scripto, præceptum illud Deuteron. transgressi sunt, quotquot, dictante etiàm Spiritu Sancto, aliquid addiderunt. Transgressus fuerit David addendo Psalmos, Prophetę Prophetias, & Evangelistę Evangelia. Incide-

rit in proprium gladium excerptus de libro viventium S. Ioannes Evangelista, qui Apocalypsi suę priùs conscriptę superaddidit Evangelium. De universâ forsitan Scripturâ intelligendũ dixeris, nam alioquin revelãte Deo & suscitante novos Prophetas, qui revelata scripto traderent, verbum scriptum succedẽs nullius fidei esset: Verùm nec hoc dici potest, nec sustineri. Aliter itaque illa Scripturę loca interpretanda sunt, illud enim Deuter. 4. 2. *Non addetis, &c.* iuxta phrasim Scripturę nihil aliud denotat, quam Deum velle præcepta illa, quę populo Judaico tunc imposuerat, integrè & perfectè observari, nequè falsâ aliquâ interpretatione depravari. Vndè Deuter. 17. 11. sub eâdem phrasi dicitur, *Nec declinabis ad dexteram, nec ad sinistram.* Quod sicùt merè litteraliter intelligendũ non est: alioquin enim numquam liceret incedendo vel tantillùm deflectere: sic etiàm addere vel minuere, in allegato superiùs loco, ita intelligi debet, ut ad nutum Dei & Legislatorum eius in terris, etiàm alia præcepta tradi possint hominibus servanda. Proverb. vero 30. 6. apertè Sapiens

loquitur

loquitur de omni verbo tàm ſcripto,quàm non ſcripto. Et deniquè Apocal. 22. verſibus citatis, ſolùm vult Ioannes ne depravetur Apocalypſis, vel additione eorum, quæ ſua non ſunt, vel truncatione eorum quæ ſua ſunt. Alium autem ſermonem divinum extra Apocalypſim,ſive ſcriptus ille ſit, ſive non ſit, integerrimè admittit. Quamobrem audiendi non ſunt Sectarii: ſed habendi tamquàm Ethnici & Publicani,dùm traditiones & verbum non ſcriptũ explodi volunt,quod ipſemet S. Paulus 2. ad Theſſ. 2.15. ut ſuprà vidimus,impensè commendat.*Tenete traditiones.*Neque Catholici arguendi ſunt , quod illas ſacræ Scripturæ adjungi velint , tamquàm ejuſdem auctoritatis.Neque in hoc præceptis Deut. & Apocalyp. & cæteris contravenerunt; quinimmo omnes contrarium docentes,diminutione eorum,quæ teneri deberent, in illa prȩcepta peccant.

MOTIVVM XXVII.

QVod Eccleſia Romana è Decalogo ſecundum præceptum expungat Exod. 20. 4.

Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo, &c. *Vt liberiùs ſibi ſculptilia & ſimilitudines fabricet, quas indebito cultu populo adorandas obtrudat. Gloriam Creatoris creaturis impertiatur, Deo reclamante Iſaiæ* 42.8. Gloriam meam alteri non dabo, & laudem meam ſculptilibus. *Quod tàm frequentes in templis & extrà, Imagines adorandæ proponantur, ut rectè poſſit inferri, quod Romana Religio ſit imaginaria & picta.*

RESPONDETVR.

Imaginum ſacrarum uſum Deo, Scripturis, antiquitate, ratione, imò & neceſſitate annuentibus approbari.

ROmanam Eccleſiam verè Catholicam & Apoſtolicam, ſecundùm præceptum è Decalogo expungere, mera impoſtura eſt. Gloriam Dei alteri dare, & laudẽ eius ſculptilibus calũnia eſt eorum, qui ſub Calvini vexillo militantes, antiqui ſerpentis ſpiritu aguntur. Veri imitatores

Judæorum

Judæorum & Mahumetanorum, in illud perverſitatis & maliciæ culmen adacti ſunt, ut quod pudor ſaltèm impedire debuiſſet, nos arguant de peccato omnium maximo, quale eſt Idolorum ſervitus. Verumtamen, ut & malè ſanis fiat ſatis, ad Catholicam doctrinam ſolidandam nonnulla præmitto. Importat imprimis nomen idoli quid falſum, fictitium & inane, ubi id quod adoratur, nullam habet in ſe dignitatem, honori & reverentiæ quę exhibetur, correſpondentem. Illud videre eſt, cùm Judæi Deuteron. 32. 17. *Immolantes dæmoniis & non Deo, diis quos ignorabant*, prævaricati ſunt. Adorãt Catholici Deum Vnum & Trinum, quem adorandum, nedùm lumen Evangelicum, ſed & naturæ docet, cultu latrię illi ſoli debito. Ac proindè mendacium famoſiſſimum eſt, nos eſſe de genere eorum, qui *mutaverunt gloriam Dei in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum*. Pſ. 105. 20. Sanctos cultu longè diverſo proſequimur; debito nimirum propter heroicas virtutes, & ſingularem vitæ puritatem, quem Duliæ cultum dicimus. Et hęc cultuum diverſitas evidenter colli-

gitur, tùm ex pluribus locis, tùm ex illo 1. Paralip. 29. 20. *Inclinaverunt se & adoraverunt Deum, & deindè Regem.* Neque enim eo modo quo Deum, ipsum Regem adorârunt; sed longè inferiori, utpotè quem *deindè* adoraverint. Sic & nos primò Deũ, deindè Sanctos veneramur, quibus ipse magna & pretiosa donaverit promissa, ut consortes divinæ naturæ facti, velùt *amici Dei nimis honorificati sunt, & nimis confortatus principatus eorum. Psal.* 138. 17. Propter eminentissimam dignitatem, quâ omnem puram creaturam antecessit mater Viventis Dei, superabundans gratiâ & prærogativis, perindè ut omnes generationes meritò ipsam proclament Beatam, non ordinario cultu Duliæ, sed Hyperduliæ eam prosequimur, ut Reginam Sanctorum omnium. Hæc de prototypis: ad Imagines modò descendamus, ob quarum venerationem, ariolandi peccatum Catholici Sectariorum judicio incurrunt. Hîc animadvertendum est, bino nos ab illis iaculo peti: quod Imagines aut sculptile faciamus contrà Dei prohibitionem: Exodi 20. 4. *Non facies tibi sculptile, neque*

nequè omnem similitudinem. Secundò quod ea adoremus renitente etiàm præcepto: *Non adorabis ea nequè coles.* Et quia utrumque nos facere arbitrantur, exultant sicùt victores captâ prædâ. Verumtamen ipsorum tela facili negotiò retundemus. Nequè enim Imaginibus utimur, ut Deos alienos colamus in illis: hoc quippè idololatrare est. Sed ut Deum verum cultu debito, Sanctos quoquè suo afficiamus honore. In quem finem licitè & debitè Imagines fieri, Deum ~~ipsum habe~~mus authorem, ubi in paradiso ad auram post meridiem deambulans Protoparentibus nostris, qui remordente conscientiâ se à facie ejus absconderant, apparuit Gen. 3. 8. Item Gen. 28. 12. Jacob vidit scalam, *Angelos quoquè Dei ascendentes & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ dicentem sibi &c.* & Exodi 3. 2. & seq. *Apparuit* Moysi *Dominus in flammâ ignis de medio rubi &c.* Daniel quoquè vidit Antiquum dierum, sedentem in throno: Danielis 7. 9. Et hæc Sacræ Scripturæ loca, præter innumera alia tùm veteris, tùm novi Testamenti, quæ brevitatis causâ omitto

mitto, ſufficiant. Quæ omnia in proprio & litterali ſenſu de Deo intelligi nequeunt, abſquè graviſſimæ blaſphemiæ notâ, niſi in formâ aliquâ corporeâ, humanâ videlicèt, quæ magis congrua videtur, ſeſe Patribus videndum exhibuerit. Non ignoro quidèm duas Authorũ de hâc re eſſe ſententias, & utramque probabilem ob eximiam Authorum gravitatem & rationum efficaciam, quæ utrimquè proponuntur. Prima eſt Theodoreti quæſt. 5. in Exod. Juſtini Martyris, Tertulliani, Hilarii, Ambroſii & Chriſoſtomi, qui intrepidè aſſeverant ipſam perſonam Filii Dei in præfatis viſionibus apparuiſſe. Probant ex modo loquendi: dixit enim Moyſi, *Ego ſum Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob.* Exod. 3. 6. & infrà v. 14. *Ego ſum qui ſum.* Quę verba ſolus Deus proferre poſſit. Idẽ ſentiendum eſſe de cæteris. Contrariam tamen ſententiam amplexi ſunt Dionyſ. Areop. cap. 4. de Eccleſ. Hierarch. Hieron. in c. 3. ad Galatas. Gregor. in præfat. Comment. in Job, & pleriquè alii, dùm aſſerunt eumdem per Angelos ſuos apparuiſſe. Quibus favet ſacer textus in Act. Apoſt.

Apostol. 7. 53. dicente Stephano Judæis, *Accepistis legem in dispositione Angelorum.* Augustin. autem quæst. 3. in Exodum, hanc quæstionem proponit, sed indecisam reliquit. Quidquid sit, sive prima ex his opinionibus sit vera, sive secunda, ex Sacris Literis certum & exploratum est, Deum ipsum sivè immediatè per se, sive mediatè per Angelum Sanctis illis Patriarchis in corporeâ Imagine apparuisse, & locutum fuisse: ac proindè habemus ipsum esse auctorem Imaginum, & Sacrarum similitudinum, quas admittit Ecclesia. Id ipsum manifestè probatur: nam Statuaria, Graphica & similes artes laudabiles sunt, & Deum consequenter habent auctorem: quod esse non posset, si earum effectus & objecta, Imagines videlicèt & sculptilia intrinsecè mala forent, aut jure divino prohibita. Et Exodi 31. 2. Dominus ipse testatur quod Beseleel, & socium ejus Ooliab impleverit *Spiritu Dei, sapientiâ, & intelligentiâ & scientiâ in omni opere, ad excogitandum quidquid fabrefieri potest ex auro & argento, & ære, marmore, & gemmis & diversitate lignorum.* Et inter cætera Cherubinos

rubinos' plures in tabernaculo & ſuperarcam efformari curavit, & alias plures imagines Exodi 25.18. & ſeq. Et num. 21. 9. Serpentem æneum. Duos alios Cherubim de lignis oliuarũ 3. Reg. 6. 23. Liquefit igitùr ex his omnibus tantùm abeſſe, quod Deus prohibuerit abſolutè ſculptilia fieri, quin ea ipſe fieri iuſſerit, & fecerit. Quoad ſecundum difficultatis punctum, in quo diſputationis nodus verſatur, reſpondendum eſt ſimiliter, non ſolùm non eſſe intrinſecè malum, vel in lege prohibitum ſimilitudines Dei & Sanctorum colere ac venerari: ſed omninò licitum, à Deo permiſſum, ſanctum & laudabile, Chriſti fidelibus mirum in modum utile, nàm Geneſ. 18. 2. apparuit Abrahamo Dominus: *Cùmq; eleuaſſet oculos, apparuerunt ei tres viri, ſtantes propè eum: quos cùm vidiſſet, cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi ſui, & adoravit in terram.* Omnes communiter Doctores & Sancti Patres aſſerunt hoc loco, eum vidiſſe, & revelatum ſibi fuiſſe Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium: & adoraſſe, non utiq́ue terram ipſam, quæ indigna prorſus veneratione

tione

tione eſt: ſed ipſum Deum in tribus illis figuratum: quandoquidèm ille modus adorandi, qui fit proſtratione corporis in terram, latriæ cultum redolet: non enim alius eſt modus magis humilis, ſubmiſſionem & reverentiam præſtandi Deo. Ità Auguſt. lib. 2. de Trinit. cap. 11. Et eod. lib. cap. ult. ex viſione Antiqui dierum ſedentis in throno, & regnum Filio hominis, hoc eſt Chriſto tradentis, aſſerit & probat perſonam Patris æterni, tunc Danieli in formâ humanâ apparuiſſe. Et re verâ incredibile eſt, & ab omni prorsùs humanâ & divinâ ratione alienum, tantos ac tàm pios viros ad hujuſmodi conſpectum non exhibuiſſe Deo debitum honorem, cultu tàm interno, quàm externo latriæ. De Abraham apertiſſimum eſt, quod pronus in terram adoravit, ut colligere eſt ex illis verbis, *Domine ſi inveni gratiam in oculis tuis, &c.* Gen. 18. 3. A Moyſe expreſſiſſimè etiàm adorari Deus voluit, Exod. 3. 5. jubens nè accederet, donec calceamenta de pedibus ſolviſſet, eo quod locus in quo ſtabat Sanctus erat. Et quid, quæſo, hoc ſibi aliud volebat, quod Moyſes faci-

em

em ſuam abſcondebat, non audens aſpicere contrà Dominum, niſi recognitionem & proteſtationem æterni numinis & Divinæ Majeſtatis, quàm in illâ imagine venerabatur. Juſſit etiàm Deus Moyſi Numer. 21. 8. exaltare ſerpentem æneum in deſerto, ad quem ſanitatis recuperandæ causâ ægri confugerent: non quidèm ſimplici tantùm intuitu, ſed reverenter & cum fiduciâ in Deum. Serpens autem ille fuit typus, & figura Chriſti, qui exaltandus erat in Cruce, in humani generis ſalutem, ut ipſa veritas teſtatur Joan. 3. 14. Nàm in fide JESV CHRISTI venturi, tunc temporis Judæi ſanabantur: atquè adeò tunc veriſſimè Imaginem illam coluerunt. Quàm etiàmſi poſtmodùm Rex Ezechias confringi juſſerit, non id fuit quod Imaginum uſus malus eſſet, ſed ob abuſum populi idololatrantis. Cherubim collocati fuerunt in Sancto Sanctorum, loco templi honoratiſſimo ac ſacratiſſimo. Vndè, quemadmodùm Deus mandavit arcam adorari Pſal. 98. 5. *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniàm Sanctum eſt*, & Pſ. 131. 7. *Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus*

des ejus. Cùr non pari ratione illi Cherubim adorari poterant? Neque enim majorem ſanctitatem aut dignitatem lignum ipſius arcæ, quàm figuræ Cherubim, ſuper quas Dominus ſedebat, continebant. Nec obſtat, ſi dicas in textu Hæbreo non haberi, *Adorate ſcabellum*, ſed, *Adorate ante ſcabellum pedum ejus:* cùm idem prorsùs ſit genua flectere antè Regem, & venerari Regem, ut patet ex illo 3. Reg. 19. 18. quandò Dominus dixit Eliæ, *Derelinquam mihi in Iſrael ſeptem millia virorum, quorum genua non ſunt incurvata antè Baal*, id eſt, qui non adoraverunt Baal: & Apoc. 22. 8. *Cecidi ut adorarem antè pedes Angeli.* Hæc ex ſacris Litteris ſufficiant, quibus Sanctarum Imaginum cultus aſtruatur. Nùnc ex uſu communi Eccleſiæ, quæ à primordio Religionis Catholicæ, eum ſemper intactũ ſervavit. Certum enim eſt, Imagines hùc uſquè in magnâ veneratione fuiſſe: uſum tamen earum parciorem & moderatiorem fuiſſe initio naſcentis Eccleſiæ fateor. Nec hoc ſine ſingulari divinæ providentiæ inſtinctu, nè vel Judæorum populus in idololatriam proclivis, & noviter

conversus tanti facinoris discrimen subiret; aut Gentes ex paganismo ad Fidem vix perductæ, in idem barathrum dilaberentur: ita volente Deo, ut inclinatam in extrema populorum naturam, objecto in contrarium pondere ad virtutis medium revocaret. Jàm verò orthodoxâ Fide magis stabilitâ, hoc periculo cessante, frequentior earum usus est, jam indè à temporibus Apostolorum paulatim inductus, teste Joanne Damasceno lib. 4. c. 17. ubi docet eum haberi ex traditione Apostolicâ. Damasus Papa in vitâ Silvestri, argenteas Imagines duas Christi Domini in sellâ sedentis, Constantinum Ecclesiæ Lateranensi obtuliisse, & Christo Servatori posuisse perhibet. Tertullian. lib. de pudicitiâ, in sacris calicibus Christum celari, ut pastorem congregantem oves erroneas consueviisse scribit. Eusebius lib. 2. Eccles. Hist. & Damascenus lib. 4. c. 17. Abagaro Edessenorum Regi Christum ipsum faciei suę Imaginem misisse asserunt. Linteo illo, in quo Christus Crucem suam bajulans, offerente Veronicâ, faciem suam sanguine respersam expressit, Tiberium Cæsarem

sanitati

sanitati pristinæ restitutum fuisse author est Suetonius, & ob id Christo fuisse decretos honores divinos. Constans etiàm per Ecclesiam fama est, Lucam Evangelistam Divam Virginem depinxisse, cujus meminit jàm antè mille annos initio suorum collectaneorum Theodorus Lector. Concil. quoquè Antiochenum, celebratum tempore Apostolorum anno 57. Romanum sub Stephano III. anno 768. Nicenum 2. anno 787. Constantinopolitanum 4. anno 869. & plura sequentia sacrarum Imaginum usum approbârunt, quem cẽtum annis Imperatores Orientis tyrannicè oppugnârunt. Attamen inter tot sæculi naufragia, semper remansit incolumis, & etiàm fumantibus Martyrum sanguine impiornm Judicum tribunalibus, per eos quos Deus dedit Ecclesiæ suę *Doctores & Pastores* strenuè vendicatus. Vndè si hoc idololatrare est, jàm olim in ipsis suis initiis Fides Catholica, infidelitatis tenebris obvoluta concidisset, & omni assertore destituta vixdùm nata interiisset. Si ita est, licebit profectò ipsum Deum querulâ voce interpellare, *Vbi sunt misericordiæ tuæ an-*

tiquæ Domine, quas *juraſti in veritate tuâ* Petro, Apoſtolis, & Eccleſiæ ſponſę tuæ, *Portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam.* Vbi à quindecim hùcuſquè ſæculis Paſtores & Doctores latuerunt, qui ovile Chriſti tui ad internecionem, infami tanti facinoris pulvere reſpergi paſſi ſunt. Permiſerítne Nicena Synodus 2. in Spiritu Sancto te vocante congregata, Conſtantinopolitana, & tres Lateranenſes inſequentes approbari Sanctarum Imaginum cultum, ſi Idololatria eſt? Siccinè Eccleſię capita de Paſtoribus in lupos rapaces converſi fuerint, ut devorent electiſſimum gregem tuum? Poterántne Inferni portæ ab Eccleſiâ ſpolia magis opima reportare, & glorioſiùs prævalere, ſi animæ fidelium ex tunc inductæ ſunt ad adoranda idola in contemptum tui & glorię tuæ? Siccinè ex infallibili facta ſit fallibilis promiſſio tua, *Eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſquè ad conſummationem ſæculi.* Math. ult. c. v. ult. Neque enim id ſolis Apoſtolis pollicitus es, utpotè qui victuri non erant uſquè ad conſummationem ſæculi: ſed eorum quoquè ſucceſſoribus, quibus regimen Eccle-

się durarurę in finem mundi, committeretur. Cùr non ex illis fortem aliquem athletam susciitasti, qui tàm graves errores, ac pernicioſissimam idolorum ſervitutem, ſi ità ſit, diſſiparet, & confunderet? Itáne auguſtiſſimum illud Eccleſię Romanę decus ac luminare magnum Auguſtinus, quẽ & ipſi Sectarii ſuſpiciunt, Hieronymus, Ambroſius, Thomas Aquinas, cæteriąue latini Patres, Magnus Chriſoſtomus, Baſilius, Nazianzenus, uterquè Cyrillus, & pleriquè alii Patres Greci, quorum doctrinâ fulget Eccleſia, ut Sole Luna, tàm ſtolidè ac barbarè ignorantię ſuccubuiſſent? Abſit: Abundè Eccleſię ſuę Deus Optim. Max. providit, nè in promiſſis ſuis infidelis inveniretur. Commentum tuum fuit, Generatio prava & exaſperans, populę inſipiens, qui Hereſiarcharum & Patrum tuorum muſcipulis caperis, & palpabilioribus errorum tenebris, quàm Ægygtię fuerint, abſorberis. Verùm, ut & hanc Catholicam veritatem ex ipſo lumine naturę diſcas, ratione naturali demonſtrare contendo, non ſolùm Imagines admittendas eſſe: ſed nequè verum latrię cultum ergà Deum, &

Dulię ergà Sanctos abſquè illis ſubſiſtere poſſe. Preſupponam pauca ex ipſis primis Philoſophię principiis deducta, de quibus nullus unquàm Philoſophorum dubitavit. In quâlibet creaturâ rationali eſſe intellectum & voluntatem, ſicuti in quolibet habente ſenſum eſt appetitus animalis. Ita D. Thom. 1. p. q. 19. art. 1. Et ſicùt ſenſus informatur ſimilitudine rei ſenſibilis, oportet etiàm intellectum ſimilitudine rei intelligibilis actuari. Viſio enim non fit in actu, niſi per hoc quod res viſa uniatur videnti; non quidèm ſecundùm ſuam eſſentiam, & prout in ſe eſt, exempli gratiâ, lapis; ſed ſolùm per ſuam ſimilitudinem. Similiter res intelligibiles, ut cognoſcantur ab intellectu, cùm uniri non poſſint per ſuam naturam intimè, per ſimilitudinem ipſi debent copulari. Vndè Aug. Tomo 3. lib. 9. de Trinit. c. 11. circà medium: *Cùm Deum*, inquit, *novimus, fit aliqua ſimilitudo Dei in nobis*. Et S. Thom. 1. p. q. 12. art. 2. ad 2. ait Auguſtinum loqui de cognitione Dei in viâ. Quamobrem, cùm actus adorationis formaliter conſiſtat in exhibitione debiti honoris & reverentiæ, in perſonam quam

quàm veneramur, ac tritiſſimum inter Philoſophos axioma ſit, nihil eſſe volitum, quin præcognitum, id eſt, priuſquàm voluntas ad eliciendum aliquem actum moveatur, debet ejus objectum ab intellectu eſſe cognitum, & exindè voluntati proſequendum proponi. Intellectus verò creatus intelligere nequeat ſine Imagine, per ipſum actum intelligendi productâ (quàm communiter Philoſophi appellant ſpeciem expreſſam, ſive verbum mentis) debebit voluntas in objectum ſuum ferri ſub eâ ratione, quâ ab intellectu proponitur. Hâc doctrinâ utuntur communiter Theologi, & potiſſimùm Angelicus Doctor 1. p. q. 27. art. 2. & q. 34. art. itidèm 2. ad probandam, vel (ut meliùs dicam) explicandam generationem Verbi in Divinis. Nàm conceptio intellectus, ut inquit S. Tho. in corp. art. 2. eſt ſimilitudo rei intellectę in eâdem naturâ exiſtente. Vndè cùm in Deo intelligere & eſſe idem ſint, ſequitur, quod proceſſio Verbi in Divinis dicatur propriè generatio, quę paſſim à Philoſophis definitur eſſe Origo viventis à vivente, in ſimilitudinem naturę,

& quod ipſum Verbum procedens, verè ſit æterni Patris Filius. Ac propterea à S, Paulus ad Hebr. 1.3. Ipſum dicit Figuram ſubſtantiæ. Et 2. ad Corinth. 4. 4. Imaginem Dei. Itaque cùm voluntas tendere non poſſit in Deum per actum amoris ſive adorationis, aut cujuſvis alterius virtutis, niſi infinita & incommutabilis Dei excellentia priùs ab intellectu cognita, per Imaginem & ſimilitudinem ipſi inhærentem, & ſub eâ ratione proponatur voluntati amanda & adoranda; evidens eſt adorari in hâc vitâ Deum à nobis non poſſe, niſi mediâ Imagine, & ſpecie ipſius repreſentativâ. Quę quidèm propter ſe non adoratur, ut res quædam eſt: ſed ut quo, ut dicunt Philoſophi, & Theologi: nequè enim terminus ultimatus actus adorationis eſt, quod competit ſoli prototypo, ſive rei, quàm Imago refert: ità ut terminus adorationis non dividatur in duos, ſed unicus ſit completus, conſtans ex prototypo qui adoratur, & ſimilitudine, quæ ratio adorandi eſt. Et eo modo intelligenda eſt propoſitio Philoſophi, dùm aſſerit eumdem eſſe motum in Imaginem & rem, repræ-

præſentatam. Igitùr cùm voluntas ferri non poſſit in rem aliquam, niſi quatenùs ab intellectu per ſpeciem repræſentatur, cùr non licebit Deum & Sanctos venerari mediâ Imagine aliquâ corporeâ; cùm utraquè mera creatura ſit, illa intellectualis, hæc corporea ſive materialis. Adeò ut ſi incurratur peccatum idololatriæ in priori, etiàm incurri debeat in poſteriori, & paritate rationis utrobiquè militante, utraquè interdici. Quippè non minùs illi idololatræ habendi fuerunt, qui vitulos argenteos & aureos, quàm qui ferreos & ligneos adorârunt. Hęc quę diximús, proportione ſervatâ, pariter etiàm circà Sanctos & earum Imagines intelligenda ſunt. Nequè propterea ſecundùm Decalogi pręceptum tranſgredimur: quoniàm non prohibet ſculptilia & ſimilitudines omnes, ſed eas dumtaxat, quibus aliquid divinitatis falsò ineſſe creditur: ut contingit in his quæ Deos alienos repręſentant, ut puta, Jovis, Martis, & ejus farinę alios, qui tamquàm veri Dii ab inſanienti Gentilitate invocati ſunt. Quod multis rationibus, iiſque certiſſimis & evidentiſſimis ex ipſo

contextu probari poteſt. Primò ubi dicitur, *Non habebis deos alienos coram me, Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo deſuper, & quæ in terrâ deorſum, nec eorum quæ ſunt in aquis ſub terrâ. Non adorabis ea, neque coles, &c.* Quaſi dicat: Non habebis deos alienos: Neque facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, Deorum ſcilicèt alienorum, Neque adorabis ea, neque coles tamquàm deos alienos. Penſanda eſt enim & introſpicienda connexio antecedentiũ & conſequentium, utpotè quæ ſe mutuò reſtringant. Sic ut illo præcepto Decalogi non prohibeatur omnium prorsùs Imaginum uſus: ſed illarum tantùm quæ falſorum deorum ſimulachra ſint. Alioquin enim non unicum præceptum foret, ſed plura: atq; adeò non decem, ſed undecim vel duodecim, contrà communem omnium ſenſum & expreſſam Scripturarum mentem. Exodi 34. 28. *Scripſit in tabulis verba fœderis decem.* Et Deuter. 4. 13. *Et decem verba, quæ ſcripſit in tabulis lapideis.* Probari etiàm poteſt, non omnem Imaginem illo præcepto prohiberi, ex ſacris Litteris:

ris: quæ variis in locis illius mentionem facientes loquuntur tantùm de Diis falsis. Imprimis Exod. 34. 17. *Deos conflatiles non facies tibi*, & alibi passim. Deindè cùm hæc præcepta ita sint juris divini, ut etiàm sint naturalis, ut ex inductione quilibet colligere potest: certum autem sit jure naturæ usum sacrarum Imaginum vetitum non esse: quandoquidèm, ut suprà ostendimus, sine Imaginibus, saltèm intellectualibus, creatura rationalis in viâ Deum adorare non possit, aut Sanctos cultu debito venerari: consequens est non omnem illo præcepto similitudinem interdici. Quin potiùs humanæ naturæ congruentissimum esse, etiàm corporeis Imaginibus uti, quibus incitetur tùm in Dei, tùm Sanctorum veneration em quos repræsentant. Quo respectu ablato, tamquàm indignæ omni honore à Catholicis respuuntur, ut cœtera quælibet ligna, saxa & hujusmodi. Ac proindè patet, quod Religio Catholica & Apostolica, imaginaria dicenda non sit, eo quod frequentiam Imaginum tàm in Templis, quàm extrà admittat, quæ jàm à multis sæculis in Ecclesiâ apprimè commendata

mendata fuit. Et circà Imaginem crucis Chriſoſt. homil. 55. in Matth. hortatur, ut & in penetralibus & in parietibus, & in feneſtris, & in frontè quoquè, ac mente, magno ſtudio crucem inſeramus.

MOTIVVM XXVIII.

QVod Sanctorum feſtivitatibus celebrandis, certi per annum dies ab Eccleſiâ deſignentur: qui cùm omnibus ſufficere non poſſint (tantus enim Sanctorum numerus eſt) unus generali omnium ſolemnitati dies deputetur. Hymnis & laudibus eorum libri precarii repleantur. Quod tamquàm Divinæ Majeſtatis coadjutores Angeli, & utriuſquè ſexus homines conſtituantur: atquè adeò gloria Dei creaturis detur. Quod templa & altaria Sanctis maximè qualificatis dedicentur & conſecrentur.

RESPONDETVR.

Per Sanctorum cultum, & invocationem, quæ hîc ex Sacris Literis fulciuntur, Deum maximè honorari.

ITà pergit ludere Momus noſter, in Deum blaſphemus & Sanctos, quaſi Eccle-

Ecclesia Romana ità Sanctis dies, aras, templa decernat, ut Deum ipsum secludat. Hoc ipsi nempè sufficere videbatur ordinario Sectariorum more, quod populo illudat & imponat. Dies soli Deo, cujus ordinatione perseverat, principaliter sacer est; Sanctis secundariò, quorum memoria apud Deum in benedictione est; ità ut totum in ipsum semper redundet. Satis hoc videre est ex ipsis precibus, quas Ecclesia quolibèt festo die recitandas indicit, quæ ferè omnes in Deum directè tendunt, pauculis exceptis, quibus beneficia Sanctis à Deo præstita memorantur, & eorum interceſſio postulatur. Templa Deo consecrantur, eique soli per se primò, propter immensas gratiarum prærogativas Sanctis collatas: quibus proindè longè inferiori modo deputantur, honoris quidèm causâ; attamen ut eò redeat, undè omnia. Jacob pòst admirabilem illam visionem in Bethel. Genes. 28. *Erexit lapidem in titulum* domus Dei. Iosue 4. Filii Israel in gratiarum actionem duodecim lapides in monumentum æternum, in ipso Jordane & Galgalis posuerunt. Esther 9. 26.

9. 26. Judæi diem decimum quartum & decimum quintum menſis Adar, in ſolemnitatem Phurim, ſeu ſortium, pro recepto à Deo per Eſther beneficio dedicârunt : & hoc ſine ullâ idololatriæ notâ. Quidni Eccleſia dies, templa, altaria, titulos, in memoriam beneficiorum Sanctis hominibus collatorum Deo conſecret, abſquè eo quod gloriam divinam alteri tribuat? Profectò perantiqua hæc, & à multis ſæculis obſervata conſuetudo eſt in Eccleſiâ Dei, quàm longâ temporum ſerie deductâ Sanctorum Patrum teſtimoniis poſſem aſtruere: at unicum S. Auguſtini ſufficiet ſerm. 15. de Sanctis, tom. 10. dùm Cathedræ S. Petri mentionem faciens: *Inſtitutio*, inquit, *ſolemnitatis hodiernæ à Senioribus noſtris Cathedræ nomen accepit*. Quod verò Sanctorum nominibus indigetentur. Hoc Templum Petri : Illud Altare Pauli, *&c.* ad diſtinctionem fit: cùm enim omnia tùm Tẽpla, tùm Altaria, tùm dies Deo dedicati ſint, per hoc à ſe mutuò non diſtinguuntur, ſicùt per minùs principalem dedicationem, quæ multiplex eſt. Et ſi Sanctorum memoriam celebrare hoc

modo,

modo, sit gloriam Dei alteri dare, cur Eccles. à cap. 44. usquè ad finem libri, in Sanctorum veteris Testamenti laudibus decantandis tàm seriò occupatur? Cùr Paulus ad Heb. 1. tàm fusè in eorumdem Patrum encomia prorumpit ex professo? Cùr Regius Vates inter magna Dei opera, quæ extollit, precesque quas fundit, Ps. 138. admiscet etiàm Sanctorum laudes, quasi admirabundus: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Dinumerabo eos & super arenam, &c.* Et certè si is qui alteri potum dederit calicem aquæ in nomine Christi, quâ Christi est, amplam mercedem recipiet, ut testatur Veritas Marc. 9. 41. quantò majorem de jure non recipiet, qui pro Christi nomine intimos ejus amicos ac familiares, Regni Cælestis consortes, honore, laude, gloriâ, hymnis, & canticis condecorat, & prosequitur? cùm illa potissimùm & principaliter in solum Deum cadant, ut Math. 25. 40. Christus asseverat. *Quamdiu feciſtis uni ex his fratribus meis minimis, mihi feciſtis*, & Joa. 12. 27. *Vbi ego sum, illic & minister meus erit, & si*

quis

quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus. Tantum abest ut propter honorem, quem deferimus Sanctis, vel tantillum divinę gratię detrahatur. Israëlitę 1. Reg. 7. 8. Samuelem hisce verbis interpellant; *Nè cesses pro nobis clamare ad Dominum Deum nostrum, ut salvet nos de manu Philistinorum*, & Job. ult. 8. *Ite ad servum meum Iob*, &c. *Dominus quoquè conversus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis*, & Rom. 15. 30. *Obsecro ergò vos fratres* &c. *ut adjuvetis me in orationibus pro me ad Deum.* Ex his & pluribus aliis Scripturæ locis constat, licitè vivos invocari, ut pro aliis apud Deum intercedant, & hoc absquè injuriâ honoris Divini: cùr similiter non licuerit Sanctos, qui in Cælis sunt velùt Angeli Dei, in necessitatibus nostris, tamquàm mediatores inter nos & Deum interpellare? S. Hier. contrà Vigilant. tom. 2. cap. 3. *Si Apostoli & Martyres*, inquit, *adhùc in corpore constituti possunt orare pro cæteris, quandò pro se adhùc debent esse solliciti: quantò magis pòst coronas, victorias & triumphos? Unus homo Moyses sexcentis millibus armatorum impetrat à Deo veniam: & Stephanus*

phanus imitator Dominisui, & primus martyr in Christo, pro persecutoribus veniam deprecatur: & postquàm cum Christo esse cœperint, minùs valebunt? 2. Machab. ult. 14. Onias Judæ Machabæo apparens, de Jeremiâ Prophetâ tunc etiàm apparente testatur, *Hic est, qui multùm orat pro populo, & universâ Sanctâ Civitate Ieremias Propheta Dei.* Et hanc orthodoxam veritatem non obscurè innuit Evangelistarum aquila Apocalyp. 5. 8. *Et cùm aperuisset librum, quatuor animalia, & viginti quatuor seniores ceciderunt coràm Agno, habentes singuli cytharas & phialas aureas, plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum.* Vbi luce meridianâ clariùs exprimit, quod viginti quatuor seniores, qui Beatorum in cœlis regnantium, & maximè eorum, qui eminentiori sanctitate fulgent, numerum designant, antè Thronum Dei & Agni Sanctorum in terrâ degentium orationes offerunt, & pro nobis intercedunt. Quid igitùr prohibet quò minùs nos priùs preces nostras ipsis offeramus; ut illi exindè Deo? Si enim ipsi laudabiliter pro nobis intercedunt, etiàm nos eorum intercessionem laudabiliter expo-

ſtulamus; quippè quod honeſtum eſt, honeſtè petitur. Quandoquidèm omnem vim mediandi, ſeu intercedendi fundamentaliter à Chriſti meritis obtinuerint: ità ut Chriſti honor eâ ratione non minuatur, ſed potiùs dilatetur. Nàm excellentioris eſt glorię, ſic hominum mediatorem eſſe, ut alios quoquè ſuis meritis mediatores efficiat. Hinc non abs re Propheta David, poſtquàm ad cœleſtem Hieruſalem anagogicis homines ſuſpiriis invitârat, ad ſupernos cives converſus, pro militantis Eccleſię neceſſitatibus eorum interceſſionem efflagitat, his verbis Pſ. 121.6. *Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem.* Et ver. 7. introducit reſpondentes: *Fiat pax in virtute tuâ, & abundantia in turribus tuis.* Et tantò libentiùs interceſſioni iſti incumbunt, & ſe pro militantis Eccleſiæ pace orare proteſtantur, quod hoc faciant *propter fratres ſuos & proximos ſuos* ex ardenti charitatis affectu. Et hanc hujus Pſalmi explicationem amplectitur gloſſa ordinaria ibidem.

Objiciet forſitàn Miniſter Delphicus, cum magiſtro ſuo Calvino, quærens latebras & effugium, Sanctos cœleſtis gaudii deliciis

deliciis ità esse immersos, ut aures non habeant, quæ ad nostras orationes porrigantur, & oculos adeò perspicaces, qui calamitates nostras intueantur.

Resp. Forsitan verum esse posset, si oculis & auribus tàm carnalibus audirent & viderent, prout carnali mente & intellectu hæc Calvinus cum suis sequacibus percipit. Sed quid? *Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei.* 1. Corinth. 2. 14. Variis modis & tribus potissimùm orationes nostræ à Beatis exaudiuntur.

Primò Angelis revelantibus & deferentibus. Angelos enim preces nostras audire, & pro nobis interdùm orare, in confesso est apud omnes: & patet ex illo Tobiæ 12. 12. *Quandò orabas cum lachrymis &c. Ego obtuli orationem tuam Domino.* Apocal. 8. 3. *Alius Angelus venit, & stetit antè Altare, habens thuribulum aureum, & data sunt illi incensa multa, ut daret de orationibus Sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum Dei: & ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum de manu Angeli coràm Deo.* Quid clariùs? Item Luc. 15. 7. *Gaudium erit in Cœlo super uno peccatore pœnitentiam*

nitentiam agente, &c. Et vers. 10. *Gaudium erit coràm Angelis Dei super uno peccatore pœnitentiã agente.* In Cœlum igitùr coràm Angelis peccatorum pœnitentium notitia pervenit: quì enim gauderent, nisi cognoscerent? Intercedente itaque strictissimâ inter cœlestis Regni concives familiaritate, ita permittente Deo, revelantur illis per Angelos ea quæ in terris pro suo cujusquè honore geruntur, & maximè Fidelium vota, quibus eorum patrocinia expetuntur.

Secundò, Preces nostras cognoscunt Sancti in Verbo, velût in speculo: ubi quęcumquè ad beatitudinis perfectionẽ pertinent, clarissimè intuentur. Nequè hoc mirum est, cùm non rarò Sanctis adhuc in terrâ degentibus arcana pandantur, & profunda humanorum cordium manifestentur. 1. Reg. 9. 19. *Respondit Samuel Sauli dicens: Omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi.* Sic 4. Reg. 6. 8. Eliseus arcana Regis Syriæ consilia scivit, longo tamèn sejunctus intervallo. Et 4. Reg. 5. 26. idem Propheta cognovit quæcumq; inter Giezi & Naaman Syrum absentes gesta fuerant.

Sic

Sic Act.5.3.& 8. Petrus Apostolus occultam Ananię & Saphyrę fraudem agnovit. Vndè si qui inter mortales occulta mysteria ex revelatione resciant, cùr non potiori ratione Beatorum animę, quæ continuâ Verbi visione fruuntur, desideria nostra quantumvis diffita & recondita introspiciant? Isti namquè de torrente voluptatis æternæ superaffluenter potantur: illi in terris, si quid simile interdùm consequantur, guttatim percipiunt. Cujus rei ratio à priori hæc designari potest, quod Sancti in illo fœlicitatis supremæ gradu, non jàm secundùm esse naturale: sed suprà naturam agunt, & vivunt: ideòque revelationes, quæ ex singulari favore & gratiâ in viâ quibusdam conceduntur, intellectui Beato sunt quasi ordinariæ & connaturales. Nàm quemadmodùm Reges & Principes famulis suis maximè sibi familiaribus facilè secretiora sua consilia communicant, sic Clementissimus Deus illis, qui jàm non in ænigmate, sed facie ad faciem, inextinguibile illud lumen contemplantur, pleraque abscondita pandit.

Tertiò. Denique orationes nostras audire

dire possunt per applicationem cõceptus, ęo modo quo Angeli & Animę Beatę sibi invicèm colloquuntur : & hoc propter illam quam habent cum divinâ essentiâ unionem, ita ut nullo loci aut temporis obice prępediantur. Non igitùr surdis auribus canimus, quandò Sanctorum patrocinia imploramus.

MOTIVVM XXIX.

QVod non solùm res animatas colamus, sed inanimes etiàm, velùt ligna, ferrum, lintea & alia hujusmodi. Miratur deindè quod de sacrosancto salutiferæ Crucis ligno Ecclesia concinat, Auge piis justitiã, reisque dona veniã. *& in quâdam oratione ad Christum : Concede, ut qui Crucem sanctam tuam adorant, à peccatorum suorum vinculis liberentur. Quod Dominicæ Coronæ spinis convertendi corda & ab omni superbiâ purgandi vim tribuamus. Quod tanto honore mappam illam afficiamus, in quâ Christus ultimum Paschacum Discipulis manducavit; sicùt & Syndonem, in quâ exanime ipsius corpus involutum fuit, ut non vereamur dicere, Sancta Mappa, ora pro nobis, Sancta Syndon,*

Syndon, ora pro nobis. Vndè collegit novum Symbolum à nobis formari: Credo in crucem, in clauos, in ſpinas, in mappam, in B. Virginem, in S. Petrum, &c. Commotus hoc loco Pauli ad Rom. 10. 14. Quomodò ergò invocabunt, in quem non crediderunt?

RESPONDETVR.

Qualiter Dominicæ Paſſionis inſtrumenta veneranda ſint.

NEcdùm deſinit ineptire hic Doctor Delphicus. Prçſtitiſſet homuncionem obmutuiſſe, cum multis ejuſdem farinæ ranis, quibus jàm olim fortiſſimi veritatis Orthodoxæ aſſertores ora occluſerant. Inculco tamèn iterùm. Adoramus Crucẽ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & cætera Paſſionis ejus inſtrumenta veneramur, utpotè quæ per contactum membrorum ejus ſanctificata ſunt. Vndè S. Joannes Damaſcenus lib. 4. c. 12. *Hoc itaquè ingentis ſanè pretii lignum, ac venerandum, in quo Chriſtus ſeipſum ſacrificii causâ pro nobis obtulit, ut ex ſancti corporis & ſanguinis contactu ſanctificatum*

tum, optimo jure adorari debet, clavique item & indumenta, & lancea, &c. Non quod illa cultu digna sint de se; sed quod honor ille, qui iis ob Christi contactum debetur, in ipsum Redemptorem totaliter cadat. Sic ut non sistatur in ipso ligno, ferro, aut similibus; sed in eum omnia referantur, qui omni cultu & honore dignus est, qui quidquid honoris ac venerationis sacris ejus passionis instrumentis ascribitur, & exhibetur, sibi soli vendicat, conformiter intentioni colentium. Et certè Hemorrhoissa Luc. 8.44.& 46. solam Dominicæ vestis fimbriam summo devotionis ac Fidei affectu tangendo venerata est. Nihilominùs ait Christus, *Quis est qui me tangit?* Indicans honorem fimbriæ suæ exhibitum, non in eâ sistere, sed per intentionem mulieris venerabundæ in se redundare. Nos quoquè Crucem præ cęteris vel maximè adoramus, non ratione solius contactus; sed quod Christum crucifixum peculiari quâdam ratione referat, quem in eâ adoramus. Et ideò, inquit Angelicus Doctor 3. p. q. 25. art. 4. in corpore, *Etiàm crucem alloquimur & deprecamur, quasi ipsum cruci-*

crucifixum. Vndè mirum non est, quod cruci seu crucifixo canat Ecclesia, *O Crux ave spes unica, hoc passionis tempore, Auge piis justitiam, reisq; dona veniam.* Quod autem hîc Crucifixum potiùs quàm Crucem alloquamur, manifestum est: cùm illi secundùm se consideratæ augere justitiam, & donare veniam non competat. Nec est novum in Scripturâ sermonem ad res inanimes quasi ad animatas convertere. Isaię 45. 7. *Rorate cœli desuper, & nubes pluant Iustum, Aperiatur terra & germinet Salvatorem.* Rorare tamèn, pluere, & germinare Iustum, sivè Christum, non magis cœlo, nubibus, aut terræ competit, quàm Cruci augere justitiam, & donare veniam. Æquè enim, imò potiùs solius Dei est Verbum mittere, quàm condonare peccata. Idem judicium esto de Spinis, quibus Servator noster coronatus est. Convertendi corda & à superbiâ extricandi vim habent, per eum qui illis redemitus est: cujus Passionem, si jugi meditatione recolamus, nisi planè lapidei simus, ad tantæ humilitatis exemplum facilè à peccatis resurgemus. Saladini indusium in castris circumlatum

ad contemptum hujus vitæ mortalis, humana corda potuit excitare: quidni Corona ſpinea, quam tulit Dominus gloriæ & majeſtatis, ſuperbos emolliat? Illę demùm orandi formulæ, quas falsò objicit, Sanctiſſimum Sudarium, ora pro nobis, Sanctiſſima Syndon &c. neque in Eccleſiâ uſitatæ ſunt, nec probabitur unquàm eſſe uſurpatas: quamvis enim ea propter Chriſti contactum in honore habeamus, cùm Chriſtum non repræſentent ſpeciali quodam modo, ſicùt Crux ſecundùm communem æſtimationem, non ita ſpecialiter honorantur. Nequè proptereà novo ſymbolo opus eſt, ut hâc in parte Fidem Catholicam ſtabiliamus, cùm partim in eo includantur, *Credo in Ieſum Chriſtum*, crucifixum videlicèt, clavatum, ſpinis coronatum, ſyndone involutum, ſepultum, &c. partim in illo *Sanctorum Communionem*: à quâ recedunt Hæretici, dùm Beatorum preces & merita ita coarctant, ut vix ullam patiantur nobiſcum communionem. Nos quidèm in Sanctos non credimus, eos tamèn invocamus. Nec obſtat ille locus Pauli ad Rom. 10. 14. *Quomodò ergò invoca-*

invocabunt, in quem non crediderunt. Neque enim Apostolus ibidèm agit de omni invocatione: sed de illâ, quæ divini nominis est: & hoc docet ipse contextus, dùm dicitur, *Omnis quicùmq; invocaverit nomen Domini salvus erit. Quomodò, ergò invocabunt, in quem non crediderunt?* In Deum credidisse oportet, ut invocetur, quod hæc invocatio Fidem divinam præsuponat. De Sanctis autem credidisse sufficit, quod tamquàm amici Dei & intercessores, necessitatibus nostris possint subvenire. Quin & malè cederet inobedientibus Provinciis, nisi creaturæ, in quam non credunt, & alienam opem invocarent.

MOTIVVM XXX.

QVod Ecclesia Romana Gloriosæ Virgini Mariæ, non sine blasphemiâ, titulos soli Deo congruos attribuat. Quod in eius officio canat, Ab initio & ante sæcula creata sum, Per me Reges regnant. Maria Mater misericordię, liberans nos à peccatis, sanctificans corda. *Et quod intolerabiliùs ipsi videtur, & maximè injurium Deo; quod Psalmos Davi-*

Davidicos mutato Dei in B. Virginis nomine, ei applicet: non secùs ac si Diva Virgo æqualem adepta esset cum Christo gratiæ plenitudinem. Sicùt illud Ps. 109.1. *quod Dominus Deus sibi soli applicat, Matth.* 22. 44. Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, *ità tribuit B. Virgini:* Dixit Dominus Dominæ meæ, sede à dextris meis, *Et Psal.* 56.1. *loco Dei ponit Domina,* Miserere mei Domina, miserere mei, quoniam in te confidit anima mea. *Quod passim etiàm in aliis Psalmis vocetur Regina Cœli, porta Paradisi, fons Vitæ, misericordiæ, gratiæ, salus omnium sperantium in se. Quæ omnia soli Deo competunt.*

RESPONDETVR.

Et Deiparæ Virginis cultus adversùs nugas objectas protegitur.

HIc Diaconus noster Delphicus, inter maliciam & ignorantiam, velùt inter maris procellas fluctuat. *Noluit intelligere, ut benè ageret* Psal. 35.4. Ignoravit ea quę soli Deo uno sensu competunt, creaturę in altero laudabiliter tribui. Vt tamen,

men, ſi velit, intelligat, tria hęc potiſſimũ notet. Primò quod non ſolùm humanus & communis loquendi uſus, verùm etiàm ipſamet ſacra Eloquia eaſdem voces in diversâ ſignificatione, frequenter diverſis rebus in omni proprietate concedant. Geneſ. 1. 31. *Viditq; Deus cuncta quæ fecerat & erant valdè bona.* Vbi ſolùm de bonitate naturali & Phyſicâ propriè ſermo eſt. De Saule 1. Reg. 9. 2. *Saul electus & bonus, & non erat vir de filiis Iſrael melior illo.* Hâc bonitate terra bona non eſt, cùm moralis ſit, de quâ hîc textus: erat tamen terra bona. Geneſ. 1. 10. At Marci 10. 18. Ex ipſius Incarnatę Sapientiæ ſententiâ, *Nemo bonus, niſi unus Deus.* Quomodò ergò Saul in adoleſcentiâ ſuâ bonus? Quomodò cuncta quæ fecerat Deus, erant valdè bona? Quomodò terra bona, ſi bonus eſt ſolus Deus? Mentitúrne Scriptura, aut blaſphemat? abſit. Solus Deus bonus eſt per eſſentiam & independenter, bonitate infinitâ immensâ & incomprehenſibili, quâ nec Saul bonus, nec ulla creatura; licèt bonitate participatâ boni ſint. Secundò, notandum eſt, quod tàm homines, quàm Sacræ

cræ Litterę, ſæpiſſimè tropicè & figuratè loquantur, ut in his 1. ad Cor. 10. 4. *Petra autem erat Chriſtus.* Apocal. 5. 5. *Vicit leo de tribu Iuda, radix David.* Joan. 15. 1. *Ego ſum vitis vera & Pater meus agricola eſt.* Et ibid. v. 5. *Ego ſum vitis, vos palmites.* Matth. 19. 24. *Facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum*, & multò plura hujuſmodi alibi. Etiàm in communi ſermone plerumquè ſimilium uſus eſt. Quæ ſi omnia, in ſuo rigore quis intelligi velit, quod verbi gratiâ, Chriſtus aſſumpſerit hypoſtaticè Petram, Leonem. *&c.* ab omnibus ut temerarius, imò & ſtultus reſpuetur.

Tertiò deniquè advertendum eſt, quod quandò aliundè conſtat de mente tropicè loquentis, ad intellectum repugnantem verba torquere, nugari eſt, & in re graviſſimâ hiſtrionum more ludere. Jàm verò, ut ad rem veniamus, omnes Catholicæ veritatis oppugnatores ſatis apertè noverunt, quod Beatiſſimam Virginem Mariam, nec Deo, nec Chriſto ullatenùs æqualem, ſed infinitè diſtantem & inferiorem doceamus & exiſtimemus. Licèt interim

eam,

eam, maternitatis intuitu, omni puræ creaturæ meritò anteponamus. Hoc multòties dictum & repetitum, à variis orthodoxis Scriptoribus inculcatum, & ad hæreticorum, miniſtrorumque ſuorum aures delatum. Verùmtamen quaſi illius ignari, erranti plebeculę imponunt, quæ volunt, eamque decipiunt. In ſcriptis ſuis & argumentationibus geſticulantur & ſimiles nugas pro ſeriis opponunt. Profectò ſi ſincerè & fideliter procederent, dùm per hujuſmodi encomiorum formulas, Virginem Matrem veneramur, eas ad intentum ab Eccleſiâ ſenſum interpretarentur, & ad alienum nuſquàm detorquerent. Quod enim de ipsâ canit Eccleſia, *Ab initio antè ſæcula creata ſum*, non exiſtimavit in æternitate Sapientiæ increatæ parem: ſed ſicùti Chriſtus ut homo dicitur primogenitus creaturarum omnium, quia in ideâ ſeu conceptu divino ab omni æternitate antè omnes creaturas fuit prædeſtinatus: ita Deiparam in eodem conceptu antè omnes puras creaturas ab ęterno fuiſſe præordinatam ſemper intellexit. Quo ſenſu omnes homines, & quæcumquè

què creata sunt, idici possunt æterna, Christus quidèm in instanti rationis & naturę, omnium primogenitus, & pòst ipsum ratione maternitatis Maria. Atquè ita verè *ab initio & antè sæcula creata* est. *Per me Reges regnant.* Verissimum est hoc & planè congruum Reginæ Cœli elogium. Et primò quidèm literaliter omnes Reges & Principes Israel, qui in genealogiâ Salvatoris ab Evangelistis memorantur, per illam regnarûnt: ideò enim illis Deus, Regnum & potestatem detulit, quià ex eorum genere Virgo originem ductura erat, ex quâ carnem ipse induere decreverat. Secundò moraliter, in quantum Christi mater & sponsa Spiritus Sancti est, verè & propriè dici potest Regina Cœli & terræ: etsi in gradu longè minori, quàm Christus. Et in hoc consentiunt omnes Sancti Patres, imprimis August. serm. de Assumpt. Nec propterea à Christi regno & dominio officit: sicùt gratiæ per Regis matrem concessæ, auctoritati Regis non obsunt, cùm ipsas per Regem & ejus auctoritatem, non propriâ virtute concedat. Quidni autèm dicatur in proprietate ser-

monis

monis possibili, fons & mater gratiæ, misericordiæ & vitæ, quæ illum ipsum genuit, qui est via, veritas & vita, & misericordia per essentiam, à quo omnis gratiæ plenitudo diminavit. Certè hunc illi honorem denegare perindè est, ac si Matrem Christi non agnoscas. Quin & intercessione suâ & meritis quàmmaximis gratiam & misericordiam nobis impetrat, *Quià sic est*, ait Bern. serm. de Nativit. Mariæ, *voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*. Et serm. 2. in Vigil. Natalis Domini. *Quià indignus eras cui donaretur, datum est Mariæ, ut per illam acciperes quidquid haberes, quæ per hoc quod Mater est, genuit tibi Deum, &c.* Quidquid igitùr habemus, à Mariâ habemus tamquàm canali: habemus & à Christo tamquàm à fonte. Canales verò etiàm fontes rectè appellantur, ut patet in fontibus artificialibus, longo interdùm spatio à suâ origine deductis. Et quemadmodùm Luna illuminat, etiàm luce non suâ, sed à Sole mutuatâ: ità gloriosa Virgo nobis confert vitam, gratiam, & misericordiam, licèt virtute divinâ: adeòque Matrem gratiæ, fontem vitæ &

miſericordiæ, ſalutem omnium ſperantium in ſe, eam eſſe abſquè ullo errore ſuſtinemus. Non quòd ipſa ſpei noſtræ objectum formale ſit, cùm Theologicarum virtutum proprium objectum ſit Deus: ſed quòd ipſius meritis & interceſſioni plurimùm confidimus, cui nec deſit voluntas, nec poteſtas ſubveniendi. Non reprehenderint Sectarii amaſię ſuæ abblandientem ſponſum, his verbis: Vita mea, Spes mea, Dulcedo mea, Cor meum, *&c.* arguunt tamèn Orthodoxos, cum Dei Matre, caſtiſſimo tamẽ corde, ita deliciantes. Vidi non ſine horrore Hæreticos, ſacrilegis Apoſtatæ nuptiis applaudentes, quod cùm anteà conſueviſſet dicere *Ave Maria gratia plena*, tunc deinceps potiùs diceret, Vale Maria gratia plena: & ſponſę ſuæ, Ave Maria Velſeria gratioſa. Pudendum! Sacco putido, titioni infernali concedunt, quod in Chriſti Matre redarguunt. Pſalterium deniquè mutato ſenſu à S. Bonaventurâ, pio devotionis affectu applicatum rectiſſimè eſt: nequè oſtendere poſſet Miniſter quiſpiam quod eo ſenſu, quo ſoli Deo convenit, Virgini Matri applicetur.

Dominam vocari uxorem ſuam etiàm patitur, patiatur ità vocari Matrem Domini. Sedere à dextris omnium prędeſtinatorum eſt, ut patet Matth. 25.33. ſed excellentiùs Reginę Sanctorum omnium: excellentiſſimè demùm Chriſti, *Qui eſt primogenitus in multis fratribus*, Rom. 8.29. Dicitur Domina miſerere mei, nec blaſphematur: idem quotidiè mendici mulierculis ſingulis. Sanctifica corda noſtra, Libera nos à peccatis; inaudita ſunt, & ſi forſan audita, intelligenda ſunt de liberatione & ſanctificatione, quæ fit per interceſſionem, & non tamquàm à causâ principali: cùm nullus omninò Catholicorum ignoret ſolum Deum eſſe gratiæ authorem: juxtà illud Pſal. 83.12. *Gratiam & gloriam dabit Dominus.* Vndè cùm de Sancti Bonaventuræ & totius Eccleſię mente in his omnibus conſtet, potiùs nugantur adverſarii, quàm argumentantur.

MOTIVVM XXXI.

QVod illis, quos in Sanctorum numerum rêtulit Romana Eccleſia, particulares etiàm honores deferat: navigantibus proponat invocandum

candum S. Nicolaum; S. Georgium rusticis, ad conservandos terræ fructus; S. Rochum infectis peste; Sanctum Firminum podagricis, & sic de cæteris: ut hâc ratione populum excitet ad honorem debitum Creatori soli, creaturis defe-rendum.

RESPONDETVR.

Sanctorum patrocinia, Dei esse dona.

QVod Sanctorum quorumdam patrocinium in particularibus quibusdam necessitatibus invocemus, immeritò consistorii Delphici Rabbini arguunt. Nàm sicùt divinæ Majestatis immensa liberalitas in hoc singulariter emicuit, quod dùm adhùc in hâc mortali vitâ degerent, licèt in charitate conformes, unumquemque singillatim peculari aliquo dono aut virtute præ cæteris decoravit; ratione cujus id singulis competat: *Non est inventus similis illi.* Eccli. 44. 20. Ita quamvis omnibus una sit gloria essentialis, accidentali tamen aliquâ remunerantur diversâ. Inter accidentales autèm Sanctorum glorias, illa

illa non in minimis habetur, ut qui mundi hujus contemptui se voluntariè objecerunt, non solùm in cœlis, sed etiàm ab ipso mundo, Deo ita volente, diversis honoribus in terris afficiantur. Alios itaquè honoris causâ constituit in hoc vel illo morbo peculiariter hominum patronos, alios in his aut illis necessitatibus speciales advocatos, quorum interceſſione Fidelium preces faciliùs exaudiantur. Neque hoc novum est, cùm ex Sacris Litteris discamus Angelicos etiàm spiritus diversis officiis & muniis à Deo esse deputatos. Michael repellendis aërearum potestatum conatibus prefectus est: Gabriel nuntiandis Dei mirabilibus: Raphael morbis depellendis. Erunt porrò Beati sicùt Angeli Dei in cœlo. Quid ergò vetat quò minùs diversis rebus singulos Deus prefecerit, honorabilesque coràm hominibus, diverso illo munere reddiderit? Prętereà hanc Fidelium ergà peculiares Sanctos in certis necessitatibus devotionem, infinitis propemodùm miraculis Deus approbavit, & etiamnùm approbat in dies. Vidimus quàmplurimos à graviſſimis

mis periculis & infirmitatibus naturaliter incurabilibus, Sanctorum interceſſione, repentè liberatos. Miracula quidèm irridٍent & contemnunt Sectarii: quæ ſi nimis evidentia ſint, ut diabolica cavillantur, objicientes illud quod Chriſto Judæi Luc. 11. 15. *In Beelzebub principe dæmoniorum ejicit dæmonia.* Nec poſſunt minùs, ut rectè ſymboliſent.

MOTIVVM XXXII.

QVod in Cæſarii Dialogis, Floribus Exemplorum & aliis quibuſdam libellis, tribuantur B. Virgini quædam miracula, ejus integritate planè indigna. Quod invocata, meretricibus ſibi devotis, & in partu periclitantibus, Angelorum miniſterio præſto fuerit. Quod quarumdam in Monaſteriis officium & locum ſuppleverit, dùm illæ per multos annos deliciis venereis operam darent. Hæc in S. Virginis injuriam cedere, utpotè quæ eam rei adeò nefariæ cooperatricem faciant: ut & in ſcandalum proximorum referri, quandoquidèm ex tantæ cooperatricis favore ad inceſtos & ſacrilegos amores inducantur.

RES-

RESPONDETVR.

Eum Iudaizare, qui B. Virginis ergà peccatores misericordiam calumniatur.

MIracula, quæ hîc nobis attulisti, Doctor Delphice, an falsitatis, an impietatis condemnas? falsa sint aliqua supponamus: nequè ex eorum falsitate, omnium reliquorum veritatem rectè condemnaveris. Si verò impietatis supra memorata insimules: scimus equidèm illa malevolorum & maximè hæreticorum calumniis esse exposita, & ab oculo retorto inspici, ut flexuosa & adulterina: oculum tamen simplicem & rectum in his & similibus, certum est Dei & glorioßissimæ Matris suæ, ineffabilem ergà peccatores benignitatem & clementiam considerare, atque mirabiles in eruendis è peccatorum cœno hominibus artes admirari. Vndè hæc debitè perpendens, si peccatis implicetur, ex tàm abundanti misericordiâ, veniæ spem concipiens, in meliorem fru-

gem ſe transfert, & tantæ bonitatis a-
more ampliùs incenditur. Quare etiàmſi
fieri poſſit, ut oculus nequàm ex his libe-
riûs peccandi anſam arripiat, id in Dei &
puriſſimæ Virginis bonitatem ac miſeri-
cordiã non eſt refundendum. Nequè ideò
Deus peccatorum auctor & fautor, quod
ſceleratos miſericorditer tolleret, dùm e-
videnti ſalutis conſequendæ medio pro-
poſito abutuntur. Chriſtum adulteriis, la-
trociniis, & hujuſmodi ſpurcitiis faviſſe,
impudenter aſſerere, blaſphemum eſt.
Mulierem nihilominùs adulteram à Ju-
dæorum intento liberavit: latroni in Cru-
ce pepercit: cum peccatoribus converſa-
tus eſt, (nec venerat ſalvare juſtos, ſed
peccatores) peccatricis lachrymas, & pe-
dum oſcula admiſit. Attamen Judęorum
calumnias, & Simonis leproſi cenſuram
non evaſit. Judęorum imitatores ſunt qui-
cùmq; beneficia à Sanctiſſimâ Dei matre
peccatricibus ſive in partu, ſive aliis ne-
ceſſitatibus præſtita, exſibilant: preſertim
cùm conſtet ſupradictarum aberrantium
converſionem indè fuiſſe ſecutam. Quod
quâ mente reticueris, cùm circunſtan-

tia illa in his casibus sit substantialis, igno-
ro: quandoquidèm indè clarum fiat, hæc
gesta fuisse non in destructionem, sed ędi-
ficationem. Illa quoquè (nequè enim plu-
res sunt, sicùt tu imponere studes) cujus
Diva Virgo locum in Monasterio supple-
visse dicitur, dùm lubricitati suæ indulge-
ret, admirabile illud Deiparæ ergà se stra-
tagema ignoravit: ideòque peccandi occa-
sio illi esse non potuit. Vbi verò rescivit,
tacta dolore cordis intrinsecùs, exindè
toto vitæ decursu pœnitens in Religione
perseveravit. Nequè ex eo quis potiùs
peccandi occasionem desumet, quàm ex
boni latronis veniâ, pœnitentiam ad ex-
tremum usquè vitę procrastinandi; aut ex
Magdalenę condonatione, luxuriandi. Mi-
rabile autẽ est, quod ex innumeris exem-
plis, quę castitatem & continentiam in illis
ipsis libris, quos citas, summoperè prædi-
cant, & vitium contrarium maximè dete-
stantur; illud unicum selegeris, in quo non
tàm ex rei gestæ, quàm ex sinistræ inter-
pretationis occasione, mordendi ansam
aliqualem es adeptus: cùm probè noveris,
& apud omnes in comperto sit, Religio-

nem Catholicam, apoſtaſiam, inceſtum, ſacrilegium, & omnem luxuriam, ſuprà modum horrere, & execrari. Abſit ut tantorum criminum fautricem faciat Sanctiſſimam Dei Matrem. Caſtitatem clamant Concilia, Conciones, Scholę, Libri publicè & privatìm.

MOTIVVM XXXIII.

QVod ex Sanctorum numero, Religioſorum Ordines eligant ſibi Fundatores & Patriarchas, velùti Franciſcum, Dominicum, Ignatium, & alios: & quod à ſe mutuò diſtinguantur colore & habitu, non ſecùs ac Magnatum Ephœbi & famuli in curiis Regum & Principum. Quod ſibi nomen Patrum uſurpent, contrà illud (ut fabulatur) Matth. 23. 9. Patrem nolite vocare vobis ſuper terram.

RESPONDETVR.

Quod Ordinum Religioſorum diverſitas Eccleſiæ decoris eſt, non diviſionis.

ITerùm nugaris: quid enim facit ad doctrinæ quàm impugnas, veritatem aut falſi-

falsitatem, Religiosorum Ordines suos habere Fundatores & Patriarchas? hunc aut illum habitum gestare? Quisquis hanc sanctam diversitatem depurato affectu pensitat, videt quantus ex hâc mirâ varietate in accidentalibus, Ecclesiæ Dei decor & pulchritudo accedat: quanta ex uniformitate in substantialibus gratissimâ, concordia. Conveniunt in eo quidem omnes, ut in perfectâ charitate & mandatorum observatione, in domo Dei, Regi suo pacifico & Redemptori deserviant. Sed nonnulli perfectioris zelo charitatis, præterea consilia Evangelica quę amplectuntur, cum voto quo Deo strictissimè religantur, iuxtà Regulã quisquê suam, in obedientiâ, castitate, & paupertate, perpetuo Deo famulantur. Non novo, ut contendũt Hęretici commento, sed jàm indè à temporibus Eliæ & Elisæi sumpto incremento, à Christo ejusquè Discipulis perfecto, & deinceps in Ecclesiâ continuato. Et hæc omnibus Religiosis Ordinibus communia: singulis verò nonnulla superadduntur divino instinctu Statuta, quibus jejunia, abstinentia à carnibus, verberа,

pedum

pedum nuditas, silentium, clausura, &c. diversimodè præscribuntur: quibus & votorum, mandatorumque perfectior inducatur observantia, proximorumque necessitatibus commodiùs subveniatur. Tùm ut unicuique à Deo ad perfectiorem statum ac sæculi contemptum vocato, optio detur ad illam inter omnes Religiones suscipiendam, quę indole, valetudine, viribus, atquè omnibus iuxtà Christianam prudentiam consideratis, magis congruat. Hìnc est quod Basilius, Augustinus, Benedictus, Franciscus, Dominicus, Hieronymus, & alii, suas quisquè, proùt à Deo moti fuerunt, regulas condiderunt, & eodem sibi fine proposito diversa ad illum perveniendi media tradiderunt. Et sicùt nihil in vitæ instituto rectè efformando prętermiserunt, sic etiàm vestium, habituumque discrimen, mediorum suorum diversitati congruum induxerunt. Sic qui Glorioſæ Virgini Mariæ peculiariùs serviunt ob puritatem integerrimam, candido: qui in labore & mortificatione præcellunt, cinericio: alii ob alias rationes, nigro sive alio habitu induuntur. Ita ut regu-

regulari eorum vitæ, habitus quoquè sive in modo, sive in colore & significatione respondeat, & quod in mente geritur, foris exprimatur. Sed reverâ nodum in scirpo quęris, dùm exprobras aggeribus Dei viventis ea, quę potiùs te in admirationem rapere deberent, non secùs ac Reginam Saba magnificentia Salomonis. 3. Reg. 10. 5. quandò *Sapientiam Salomonis & habitacula servorum, & ordines ministrantium, vestesq; eorum* contemplata est. Debueras illam varietatem in Reginę nostræ, Ecclesiæ inquam, ornatu cum Psalmistâ venerari, Psal. 44. 10. *Astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato*, nempè in charitate, *circumdata varietate*, diversorum videlicèt Institutorum & habituum famulorum Dei ad perfectionem unanimiter tendentium. Debueras in Sunamite sponsâ Christi dilectissimâ, choros castrorum ex mirâ illâ Religionum diversitate constantes admirari, cùm hostibus suis facta sit *Terribilis ut castrorum acies ordinata*. Cantic. 6. 3. Constat enim fortissimos hactenùs milites, adversùs omnes Ecclésiæ Dei visibiles & invisibiles inimicos, ex Religiosis Ordi-

Ordinibus prodiiſſe, qui doctrinâ ſuâ hæreſes in ipſo ſuo limine ſepelierunt, ſanctitate morum mundum illuſtrârunt, & ſuis inſtructionibus infinitos propemodùm filios Chriſto ſpiritualiter genuerunt. Meritò igitùr Patres ſine controverſiâ vocandi ſunt Religionum Inſtitutores, qui ſeu mediatè ſeu immediatè poſteros ſuos Chriſto genuerunt : & quotquot cum illis alios Chriſto gignunt, eodem ſenſu ac ratione Patres ſunt, quâ Paulus 1. ad Cor. 4. 15. ſeipſum Fidelium Patrem appellat, cùm dicit, *ut Filios meos charißimos moneo : nàm ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto ſed non multos Patres : nàm in Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui.*

MOTIVVM XXXIV.

QVod Summus Pontifex permittat ſe vocari Patrem Sanctum, imò & Sanctißimum; quod Chriſtus ſoli Patri Æterno tribuit, Ioa. 17. 11. Pater Sancte ſerva eos. *Et etiàm in abſtracto dicatur Sua Sanctitas, velùt de Deo attributa in abſtracto prædicantur, Divinitas, bonitas. Et quod in Gloßâ Clem. Cum inter.*

patiatur

patiatur se Dominum Deum nostrum appellari. Quod etiàm dicatur Leo de tribu Iudâ, radix David, Salvator Sion: imò & Bellarminus ipsum sponsum Ecclesiæ nominet, etiàm Christo secluso.

RESPONDETVR.

Aliquos ex illis titulis sine fastu jure sibi arrogat Summus Pontifex, alios cum astu ipsi imponit Delphicus Minister.

AB ipsis Ecclesiæ incunabulis Romano Pontifici Christi in terris Vicario, nomen Patris & Papæ (quæ coincidunt) concessum est. Testem profero S. Ignatium Martyrem in epist. ad Mariam Sarbensem, *Dùm esses* inquit *apud Papam Linum.* Nec immeritò epithetum Sancti, & Santissimi adjungitur: non quidèm ratione personæ, quæ dignitatem obtinet; sed ipsius dignitatis. Sanctum enim est, & Sanctissimum munus, Christi in terris vices obire, quod tantam talemque ab eo pote-

potestatem accepit, sanctione & decreto divino planè involabilem. Quàmvis igitùr fortasse Summus Pontifex propter vitæ puritatem, aut regiminis integritatem, honorificum illum titulum non promereretur, siquidèm simùl atquè ritè & legitimè ad cathedram Petri, ad supremam nempè dignitatem evehitur, Sanctus ac Sanctissimus vocari potest & debet. Nec obstat primò, quod Sua Sanctitas vocetur in abstracto, cúm nomina abstracta non sic Deo congruant, quin etiàm hominibus tribui possint. Alioquin & graviter peccarent Hollandi, cùm Suæ Excellentiæ, aut Celsitudinis nomen Principi tribuunt. Non obstat secundò, quod Christus Patrem Æternum eo nomine compellarît, Joan. 17. 11. *Pater Sancte serva eos* Quià, ut sæpè in simili repetitum est, hæc & similia creaturis per attributionem & analogicè applicari possunt. Quod manifestissimè declarat Apostolus, cùm Ephes. 3. 15. *Flecto*, inquit, *genua mea, ad Patrem Domini mei Iesu Christi, ex quo omnis paternitas in Cælo, & in terrâ nominatur.* Clariùs innuere non potuisset, esse ali-

quam

quam Paternitatem extrà Deum in cœlo & in terrâ: eamdem tamèn à Deo dependere. Et nè longiùs exempla perquiram, solùs Pater Æternus Christi Pater extitit: & tamèn Luc. 2. 48. Josepho tribuitur, *Eccè Pater tuus & ego dolentes quærèbamus te.* Christus Dominus unigenitus Beatissimæ Virginis Filius fuit: attamèn ipsemet S. Joanni Evangelistæ in arâ Crucis Filii nomen concessit. Ioan. 19. 26. *Ecce filius tuus.* Et in Symbolo Apostolorum, ut frequenter videmus, dicitur: *Filium ejus unicum Dominum nostrum:* & tamen Genes. 6. 2. *Videntes filii Dei filias hominum.* Et Ps. 81. 6. *Ego dixi Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Ergò aut Scripturæ sibi contradicunt, aut inane Ministri nostri argumentum est. Pater Æternus vocatur Pater Sanctus, ergò Papa non debet vocari Pater Sanctus. Christus est Sponsus Ecclesiæ, ergò Papa non est. Servator enim noster juxtà promissionem per Oseam factam, attestante Paulo ad Ephesios 5. Ecclesiam verè sibi desponsavit: ideòque principalis est ejus Sponsus & unicus in illâ significatione. Nec tamèn definit ejus Vicarius, ministe-

rialiter saltèm, ejus Sponsus & esse & dici; eo sensu, quo quilibet Episcopus cum suâ Ecclesiâ matrimoniũ spirituale inire dicitur, quod per Electionem inchoatur, per Confirmationem ratificatur, & per Consecrationem consummatur c. ult. de Transl. Præl. Cùm autèm Summus Pontifex universalis Ecclesiæ sit Episcopus, meritò & universalis Ecclesiæ Sponsus appellatur: Christo minimè secluso, quod Bellarmino (ut legenti cuilibèt constare poterit) mendaciter imponit. Eodem modo intelligendum est, si fortè alicubi Leo de tribu Judâ, radix David, Salvator Sion, aut alio simili elogio vocitetur. Citat Conc. Lateranense sess. 10. Quinque Lateranensia percurrimus, nec simile quid reperitur. Doctor noster Delphicus, hìc & alibi frequenter falsitatis convincitur. Vndè sufficienter colligere est, quàm immeritò, in antiquum Ecclesiæ usum insurgat, contentus maledicere, cùm malè facere non possit. Quod autem Dominum Deum nostrum vocari se permittat Papa, in gloss. Clem. Cum inter. sine titulo citatæ, gratis asseritur: cùm nulla sit ex omnibus Clementinis,

mentinis, quæ ſic incipiat. Et quamvis in aliquâ gloſsâ hujuſmodi quidpiàm reperire eſſet, id permittere Summus Pontifex, ideò dicendus non eſſet: certum eſt enim quod nulla gloſſa à Sede Apoſtolicâ fuerit approbata; nec uſquàm apud Catholicos majorem habuit authoritatem, quàm Auctor aliquis particularis. Quàpropter, ſi ità eſt, particularis abuſus eſt, quales defendendos, ut ſæpè dictũ eſt, non ſuſcepimus. Abuſus, inquam, licèt fortè potiùs in modo loquendi, quàm in re. Manifeſtum eſt enim, quod nullus umquàm Catholicus exiſtimavit, Papam dici aut eſſe Deum, niſi forſan in ſignificatione latiſſimâ, ſicùt de hominibus Propheta aiebat, *Ego dixi, Dii eſtis*. Aut intelligendo Deum, pro Dei Vicario, vt intellexit ſuperiùs pag. 172. Areopagita, Deum pro Angelo qui loco Dei apparebat: aut ſicùt ſecretius Regis Conſilium, ſub ipſiuſmet Regis nomine decreta ſua edit, cum ipſa, ut plurimùm, Rex nequidèm viderit.

MOTIVUM XXXV.

QUod plenitudinem potestatis in cœlo & in terrâ, atquè in jure dispensandi facultatem usurpet, utpotè qui sibi videatur esse suprà jura. Quod Sacræ Scripturæ admittendæ non sint, nisi de suo judicio. Quod can. Si Papa. dist. 40. *expressè habeatur*, Si Papa suæ, & fraternæ salutis negligens, deprehenditur inutilis, & remissus in operibus suis, & insuper â bono taciturnus, quod magis officit sibi & omnibus: nihilominùs innumerabiles populos catervatim secum ducit, primo mancipio gehennæ, cum ipso plagis multis in æternum vapulaturus. Hujus culpas istîc redarguere præsumit mortalium nullus: quià cunctos ipse judicaturus, à nemine est judicandus, nisi deprehendatur à Fide devius. *Vbi Pontifex à Fide posse deviare indicatur: cùm tamèn Catholici sustineant, eum errare non posse, non sine manifestâ contradictione.*

RES-

RESPONDETVR.

Et Pontificiæ poteſtatis amplitudo confirmatur. An & quomodò Papa errare poßit?

PLenitudinem illam poteſtatis habuit D. Petrus, cui dictum eſt Matth. 16. 19. *Quodcumq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcumq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.* Qui autèm *quodcumq;* dicit, nihil excipit. Chriſtus qui eam auctoritatem abſque dubio concedere poterat, *quodcumq;* dixit, ergò plenitudinem poteſtatis Petro, & per Petrum legitimis ejus ſucceſſoribus conceſſit. Neque enim ſolo tempore Petri, externo regimine moderandus erat Eccleſiæ clauus: ſed eadem duratura erat uſquè ad mundi finem viſibilis gubernatio: ergò in capite viſibili par & æqua poteſtatis plenitudo requirebatur in progreſſu, quæ à principio: ergò Summus Pontifex verus Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius non uſurpato, ſed pleno jure il-

Iam plenitudinem ſibi vendicat. Atquè adeò per illam non ſolùm Leges condere, ſed & in juribus humanâ voluntate indu-ctis diſpenſare abſquè cõtroverſiâ poteſt. Porrò ſi magnæ, ut volunt Sectarii, arrogantiæ eſt, Romanum ac Vniverſalem Eccleſiæ Paſtorem ſibi vendicare jus declarandi, quænam Scripturæ, ut Canonicæ recipiendæ ſint: quamvis hactenùs eâ auctoritate uſus non ſit, niſi re maturè prudenterq; in Oecumenicis Conciliis conſultâ & conſideratâ. Quantæ quæſo erit audaciæ homuncionem aliquem privatum & vilem, ſibi hanc auctoritatem arrogare (quod inter hæreticos frequens eſt) particulari ſuo ſpiritu ductum, modò hunc, modò illum Scripturę librum, puta Machabæorum, reprobare, aut admittere? modò hanc, aut illam Epiſtolam in Canonicam recipere, aut proùt lubet rejicere? Æquiſſimum hâc in parte judicem, quamvis à Fide alienum propono Potentiſſimum Perſarum Regem, qui in quâdam Epiſtolâ ad Summum Pontificem per Religioſum noſtrum directâ, (teſtis ocularis loquor, hanc enim vidi, tenui, ac legi)

inter

inter cęteros honoris titulos, quos Vicario Christi tribuebat, iste non erat infimus, *Ad quem pertinet interpretari sacram Scripturam, & verum ejus sensum declarare*. Hanc veritatem vidit infidelis, quam Hæreticorum & Sectariorum oculi non capiunt. Vndè fit, quod in rebus Fidei etiàm vento instabiliores hùc & illùc ferantur, utpotè quibus in dubiis suis nullum umquàm sit certum refugium. Econtrà Orthodoxi, judicio Apostolico Pontificio & Pastorali stant, ut falli non possint. Promisit quippè Christus suis Apostolis & Pastoribus quos constituit perpetuum in dijudicandis controversiis, & quâlibet re definiendâ subsidium, Matth. 28. 20: *Eccè ego vobiscum sum omnibus diebus, usquè ad consummationem sæculi*. Et Luc. 22. 32. Promisit idem Petro & in eo omnibus ejus successoribus: *Ego autèm rogavi pro te, ut non deficiat Fides tua*. Deniquè super hanc petram ædificavit Christus Ecclesiam suam, Matt. 16. 18. *Et portæ Inferi non prævalebunt adversus eam*. Quamobrem infallibile planè cuilibèt rectè sentienti esse debet, visibile Christi in terris caput, quatenùs tale est, Papam

videlicèt ut Papam aliquid ex Cathedrâ dictantem errare non posse. Hoc quippè exigebat visibilis Ecclesiæ regimen, non solùm Petro, sed & ejus successoribus promitti & concedi: eâque ratione Ecclesia Catholica à S. Paulo 1. Timot. 3. 15. rectè & verè, *Columna & Firmamentum veritatis* appellatur. Neque supradictæ doctrinæ adversantur verba, quæ ex ca. Si Papa. objiciuntur: *Nisi deprehendatur à Fide devius.* Quoniàm non est contrà Catholicam doctrinam, si quis asserat, Papam ut hominem posse errare, aut esse hæreticum; quod tamèn hactenùs visum non fuit: sed solùm in id communis Catholicorum sententia conspirat, ut affirment Pontificem, sive hæreticus esse possit, sivè non, non posse ullo modo definire aliquid hæreticum à totâ Ecclesiâ credendum. Quod saltèm sufficit, ad infallibilitatem doctrinæ universali Ecclesiæ propositæ stabiliendam. Sicùt & hoc saltèm necessariò concluditur, ex locis Scripturæ superiùs memoratis, quæ Ecclesiæ ejusque capitis astruunt firmitatem, & certitudinem. Postremò non est quod stomachum tuum moveat,

moveat, quod Canone allegato dicatur, Papam à nemine esse redarguendum. Moneri quidèm potest per fraternam correctionem; sicùt aliquandò Paulus Petrum monuit, ut testatur Hieron. Epist. ad Augustinum, quæ habetur inter Epistolas Augustini undecima, & Aug. Epist. 19. ad Hieron. & Gregor. Homil. 18. in Ezechiel. Verùm in judicio redargui aut judicari non potest, eo quod non habeat quempiàm se superiorem. Imperator Pontificię potestati subjicitur: nam, ut inquit Ambr. concione de Basilicis non tradendis hæreticis, in fin. Tom. 5. *Imperator bonus intrà Ecclesiam est, non suprà Ecclesiam*, multò minùs suprà Ecclesiæ Pastorem. Greg. Nazianz. *Vos*, inquit, *oues nolite pascere Pastores, neque super terminos eorum elevemini: nolite judicare Iudices, nec leges feratis Legislatoribus*. Bernar. Epist. ad Conradum Imperat. *Omnis anima*, inquit, *potestatibus sublimioribus subdita sit. Quam sententiam cupio vos custodire in exhibendâ reverentiâ Christi Vicario, sicùt ipsam vobis vultis ab universo servari imperio*. Et in Conc. Synuessano communi & concordi voce Patres proclamarûnt,

Prima Sedes à nemine judicatur, neque ab Augusto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo. Quandò verò Pontifices ad decernendas res Fidei, & ea quæ pertinent ad regimen universalis Ecclesiæ procedunt, non id faciunt temerè, neque ex proprio capite: sed adhibito graviſſimorum Prælatorum & Doctorum consilio, qui scrutantes Scripturas, juxtà consilium cœlestis Magistri nostri Iesu Christi, necnon doctrinam Sanctorum Patrum, omnia dilucidāt, ut consona sint S. Litteris, & Apostolicis traditionibus. Et his omnibus, quasi quibusdàm dispositionibus præmissis, tādèm Spiritu Sancto afflante aliquod decretum Apostolicum ferunt. Dices quomodò fieri potest, quod decreta illa Spiritu Sancto dirigente fiant, cùm sæpè viderimus ea immutari, & quod ab uno Pontifice statutum est, ab alio abrogari: nec tamèn Spiritus Sanctus sibi ipsi contrariari possit. Resp. In materiâ Fidei, maximè in substantialibus, nihil unquàm immutari: licèt nonnulla circà mores, quæ pro ratione temporum convenientia videbantur, successione eorumdem, ut inconvenien-

venientia ábrogentur. Contingit etiàm in rebus Fidei, ut ea quæ minùs clara populo credenda antè proposita sunt, Deo illuminante Ecclesiam, ut optimè advertit Hieron. hoc in dies fieri, magìs inclarescant.

MOTIVVM XXXVI.

QVod Romanus Pontifex propter supremam illam potestatem, quam sibi ascribit, præsumi possit esse ille de quo Paulus 2. ad Thess. 2. 3. Nisi venerit discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adversatur, & extollitur suprà omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ità ut in templo Dei sedeat, ostendens se tamquàm sit Deus. *Quod Innocentius III. in Bullâ, quæ extat in tom. 3. Concil. distribuat augmenta gloriæ, his qui ad bellum transmarinum se conferrent. Et quod in Coronatione Pontificum ipsis dicatur*, Scito te esse Patrem Principum & Regum, mundi Gubernatorem, & Christi in terris Vicarium. *Quod Bonifacius VIII. postquàm habitu Pontificali indutus, & triplici coronâ caput ejus redimitum fuisset, Imperiali veste ornatus*

*natus, coronatus & armatus, tamquàm in ſcæ-
nam prodierit, & alterâ manu gladium, alterâ
mundi globum ſuſtinens exclamaverit*, Eccè duo gladii hîc. Vides Petre tuum ſucceſſorem. Vides Chriſte tuũ Vicarium. *Quod ſub æternæ damnationis comminatione interdixerit, nè de ſupremo ejus tùm in ſpiritualibus, tùm in temporalibus principatu diſputetur. Quod hic modus agendi non redoleat humilitatem & manſuetudinem Chriſti, quam commendatam reliquit Math.* 11. 29. Diſcite à me, quià mitis ſum & humilis corde: *nec quam præferebat in ſuis epiſtolis, dùm vocaret ſe* Servum ſervorum Dei. *Quo titulo etiàm omnes ejus ſucceſſores uſi ſunt, cùm tamèn prætendant eſſe Domini Dominorum: & in dominationis hujus ſignum Imperatorem, Reges, & Principes, ac digniores, qui conſecrationi interſunt, ſibi equam aſcendenti & deſcendenti, quaſi famulos ephippium tenere Papa jubet. Quod Imperator tertiò coronandus Romam ingrediens Papam in theatro cum Majeſtate ſedentem, Cardinalibus ſtipatum, nudo capite, ter genu flexus ſalutat, & pedes ejus exoſculatur. Quod itidèm in conſecratione Pontificum, dùm ſolemni ritu, & proceſſionaliter*

progre-

progrediuntur Venerabile Sacramentum antè se præmittant inter plebem. Ipsi verò Cardinalium, Patriarcharum, Episcoporum, & nobilium catervâ stipati, in equo albo magnificentissimè phalerato subsequantur. Quod hæc superbia tolerabilis esset, si solùm super Imperatores, Reges, & Principes se diffunderet: sed quod intolerabilis sit, dùm suprà Deum, cujus potestatem sibi arrogant, efferuntur. Omittimus meras nugas alias responsione indignas.

RESPONDETVR.

Iterùm de Papæ primatu, & de successione continuâ. Pompa ejus exterior laudabilis: nec ideò est Antichristus.

SI Sectarii nostri oculo simplici, quem turbida passio non fascinaret, summum illum Christi in terris Vicariatum contemplarentur, non utiquè sic ignorantes blasphemarent. Converterent procùl dubio inveteratum odium in piam veneretionem, & mente saniori Fidem amplecterentur quam spernunt. *Exacuerunt ut gladium*

gladium linguas ſuas, Pſ. 63. 4. *Venenum aſpidum ſub labiis eorum, quorum os maledi-ctione & amaritudine plenum eſt.* Pſal. 13.3. Improperant Vicario Chriſti, & ex conſequenti ipſimet Chriſto Domino. Dicent fortaſsè ſicùt Judæi Pilato, Joan. 19. 21. *Noli ſcribere Rex Iudæorum, ſed quiâ ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum.* Pontifex Romanus non eſt Vicarius Chriſti, ſed ipſe ſe Vicarium facit. Verumtamèn etiàm ipſis invitis, veritas hæc eſt luce meridianâ clarior. Gaudet tali dignitate, Chriſtus adeam ipſum evexit, hanc ad noſtra uſquè tempora ſine interruptione continuatam, cum communi Sanctorum Patrum conſenſu, & unanimi populorum acclamatione retinet. Soli Novatores in re tàm clarâ cœcutire malunt, & contrà omnium antiquorum & modernorum torrentem contendère. In illam Eccleſiæ petram acies ſuas dirigunt, non ignorantes quod eâ poſitâ, corruat omnium hæreticorum vana præſumptio. Manet tamèn inconcuſſa, & quâlibet caute firmior impios conatus retundit. Nè tamèn hæc ſine fundamento dicere videamur, lubet altiori indagine

indagine paulò maturiùs rem discutere, legitimam à Petro Christi Vicariorum successionem indagare, & Romani Pontificis auctoritatem stabilire. Cùm Christus Joan. 21. 14. de instituendâ Republicâ Christianâ, & Ecclesiâ, quam proprio sibi sanguine desponsavit, erigendâ cogitaret; idoneum Pastorem, qui loco suo pòst gloriosam Ascensionem visibiliter gubernaret electurus, virum divini amoris zelo & charitate, quę virtutum regina est, flagrantem præficere voluit. Et quamvis scrutator ille cordium satis nosset, quantùm Petrus eâ in virtute excelleret; placuit tamèn quasi quoddàm examẽ super ejus idoneitate præmittere, per tertiò repetitam illam interrogationem, *Petre amas me*? Annuente Petro semèl & iterùm, bis respondit, *Pasce agnos meos*. Quasi diceret, Constituo te Pastorem agnorum meorum universalem, quos sivè ex populo Judaico, sivè ex Gentilitate congregabo: non horum aut illorum, sed omnium: indistinctè enim loquitur; sed nec ibi substitit. Tertiò interrogavit, *Petre amas me*? & tertiò affirmanti ait Christus, *Pasce oues meas*.

meas. Quarè hâc vice oves meas, & non agnos meos? Hęc eſt differentia inter oves & agnos, quod oves ſint agnorum matres. Per eas itaq; non ineptè intelligere poſſumus Eccleſię Pręlatos & Doctores, qui quâ docẽdo, quâ regendo, Chriſto & ejus ſponſæ filios ſpiritualiter generant & nutriunt. *Paſce* itaquè *oves meas*, hoc eſt, Conſtituo te Paſtorem omnium Paſtorum, qui ſingularibus præſunt Eccleſiis, ſicùti anteà agnis te Paſtorem præfeci. Rursùs Math. 16. 18. in ſolemniſſimæ illius profeſſionis Fidei, quàm Petrus collegii Apoſtolici nomine fecit, præſentem promiſſionem, Chriſtus in hæc verba prorupit, *Et ego dico tibi, quià tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſus eam*, & v. 19. *Tibi dabo claves Regni Cœlorum: & quodcumq; ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in Cœlis: & quodcumq; ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in Cœlis.* Quid luculentiùs & manifeſtiùs? Profectò efficacioribus verbis ſignificari non poſſet illa ſupereminens poteſtas, quàm Petro conferebat, ſuper bonorum ſpiritualium diſtributionem, ac myſte-

mysteriorum Dei dispensationem. Hanc ipsam plenitudinem potestatis, à Petro in successores exindè, Deo ita disponente, derivatam Novatores admittant necessum est. Si enim Respublica quælibet temporalis, ut persistat in materiâ regiminis, exigat in suis moderatoribus, nedùm primis, sed & succedentibus, auctoritatem leges condendi & abrogandi pro temporum discrimine, fontes plectendi, benè meritos remunerandi; quidni illud ipsum exiget Respublica Christiana à Christo Domino, cui *nullus similis in legislatoribus*, Iob 36.22. rectissimè instituta, quæ perseveratura sit usquè ad consummationem sæculi? Certè potestatem illam Petro & successoribus ejus dandam multis antè sæculis vaticinatus est Isaïas cap. 59.21. *Spiritus meus, qui est in te, & verba mea quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, dicit Dominus amodò, & usquè in sempiternum.* Quod etiàmsi de Christo secundùm litteram intelligatur; cùm non nisi spiritualiter genuerit, de illâ Pastorum & Doctorum, quos Ecclesiæ dedit, continuâ & perenni

ſucceſſione, etiàm appoſitiſſimè, & quidèm litteraliter intelligendum venit. Neque enim minùs Clementiſſimus Deus Eccleſiæ ſponſæ ſuæ providit, quàm Judęorum Synagogę olim, in quâ ſemper illam Pontificum ſucceſſionem, uſque ad ejus interitum conſervavit: ad quos in dubiis recurri voluit, ut patet Deut. 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem & ſanguinem, cauſam & cauſam &c.* & 9. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem qui fuerit illo tempore,* (nota) *quæreſq; ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem:* & v. 10. *Et facies quodcunq; dixerint, qui præſunt loco, quem elegerit Dominus:* & v. 12. *Qui autem ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui pro tempore miniſtrat Domino Deo tuo,* (nota benè) *decreto judicis morietur homo ille.* Porrò ſi illum ipſum Sacerdotem, & præcipiendi auctoritate, & in rebus Fidei definiendis aſſiſtentiâ ſuâ particulari Deus non muniviſſet, expoſuiſſet populum manifeſtiſſimo errandi periculo. Hoc autèm adeò conſuevérat Omnipotens Deus, ut cùm Synagogam, tamquàm adulteram jam repudiaret,

vix potuisse abstinere videatur, quin ultimum suum Pontificem, si non in omnibus, saltèm in aliquo assistentiæ suæ munimine adhùc honoraret. Cayphas enim, etsi iniquissimus esset, utpotè qui ipsum Dominum vitę morti adjudicârit; attamèn tamquàm caput languidum pereuntis Synagogæ, adhuc saltèm quantùm ad hoc, assistentiam habuit à Spiritu Sancto, & fuit præco divini & æterni decreti, cùm hæc verba protulit: *Expedit ut unus homo moriatur pro populo, nè tota gens pereat.* Quod advertit Joan. 11. 51. dicens: *Cùm esset Pontifex anni illius, prophetavit.* Illa enim sententia, prout originem ducebat ex ipsius Cayphæ mente, plena fuit malitiâ, ambitione, & odio in Christum: sed ut proveniebat ex æterno divinæ Majestatis decreto, ex infinitæ bonitatis fonte emanabat. Fuit tamen promulgata per ipsum Caypham potiùs quàm per alium, eo quod *esset Pontifex anni illius.* Vt ostenderet Deus, quomodò antecessores ejus, dùm adhùc vigeret Synagoga, assistebat. Quandoquidèm ergò Christus ancillam cum liberis suis, id est, Synagogam ejecerit,

rit, & liberam, videlicèt Eccleſiam Catholicam pretio ſanguinis ſui ſibi copulârit, cùr non dederit liberę, quod ancillæ conceſſit? Illa umbra fuit, hæc veritas: nihilominùs illa ininterruptam ſe mutuò ſuccedentium Sacerdotum ſeriem, ad quos in dubiis ſemper recurſum eſt, recenſuit; indeſinens divinę aſſiſtentiæ munus ad occaſum uſquè perſenſit; in ſuorũ rectorum certitudine & infallibilitate gloriata eſt, Pontifices Prophetas habuit & ſingulos Divinum numen ſpirantes: ut non abs rę auream laminam in pectore geſtarent, jubente Deo, in quâ inſcribebatur VERITAS, non bonitas, non ſanctitas, aut aliud quoddàm ex divinis attributis: quià in eo qui ad clavum regiminis Eccleſiaſtici ſedet, non tàm neceſſariò requiritur, ut à Deo in bonitate & ſanctitate morum dirigatur, quàm in certitudine & infallibilitate doctrinæ. Cùr non Eccleſia Chriſti ſponſa, filia gratię, tanto privilegio gaudeat, cùm non ignorarît Chriſtus Petri naviculam variis tempeſtatibus jactãdam, Petrum ipſum brevi è medio tollendum, & martyrii palmâ decorandum! Oportuit indubiè

indubiè, si non personam eamdem, saltem dignitatem, authoritatem ac potestatem in successoribus eamdem perpetuò tueri & conservare, nè præda Inferis tàm opima cederet, ac populus Christianus infinitis erroribus obnoxius, velùt ovis erratica, & pastore destituta, variis dogmatum alienorum ventis circumferretur. Damnum sanè non corporale, sed spirituale; non temporalis, sed æterni boni: ac proindè quod tantò magis ab infinitâ divinę providentię bonitate conveniebat impediri. Sæcularis dignitas temporali subditorum gubernationi tantùm principaliter incumbit, neque ulla facta est ipsi (de quâ constet) successionis duraturæ promissio. Pontificia autem majestas animas ad æternam dirigit salutem, & adversus eam certum est portas Inferi numquàm prævalituras. Videmus tamèn, Deo ità disponente, Imperatorum successionem à Julio Cæsare ad nos usquè deductam: videmus longas Regum series à plurimis sæculis ad præsens usquè derivatas. *Numquid*, ait Apostol. 1. Cor. 9.9. *de bobus cura est Deo*, aut de rebus temporalibus? Ità profectò cura est ipsi:

quandoquidèm illa Regna & Imperia tamdiù conſervavit. Sed longè major de ſpiritualibus : ideòque multò ſollicitiùs Pontificiam ſucceſſionem hùcuſque ſine interruptione perduxit, & ad finem uſquè mundi perducturus eſt, juxtà ſuam promiſſionem, quæ nec fallere, nec falli poteſt. Neceſſarium itaque planè eſt, Romanorum Pontificũ illibatam ſucceſſionem in unitate Fidei, in unitate doctrinæ, in unitate poteſtatis & auctoritatis admittere : niſi malis Deum mendacii & infidelitatis reum agere, cùm promiſerit Matth. ult. ult. *Eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſquè ad conſummationem ſæculi.* Et Mat. 16.18. *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adverſùs eam.* Certè hanc glorioſam ſucceſſionem Sanctus Iræneus coætaneus Sancto Polycarpo Sancti Joannis Evangeliſtę diſcipulo enixiſſimè veneratus eſt lib. 3. ca. 3. his verbis: *Sed quoniàm valdè longum eſt, in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones; maximæ & antiquiſſimæ, & omnibus cognitæ à glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ*

ſtitutæ Eccleſiæ, eam quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per ſucceſſiones Epiſcoporum pervenientem uſquè ad nos indicantes; confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel per cæcitatem & malam ſententiam, præterquàm oportet, colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam, hoc eſt, eos qui ſunt undiquè Fideles. Et S. Auguſt. tom.6. contrà Epiſt. Fund. c.4. *Multa ſunt*, inquit, *alia quæ in ejus gremio me juſtiſſimè teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium. Tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipsâ Sede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas poſt Reſurrectionem Dominus commendavit, uſquè ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotũ,* quam abſquè ullâ interruptione recenſet Epiſt. 163. to. 2. *Si enim*, inquit, *Ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quantò certiùs & verè ſalubriter ab ipſo Petro numerabimus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti Dominus ait: Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: portæ Inferorum non vincent eam. Petro*

enim ſucceſsit Linus, Lino, Clemens; Clementi, Anacletus; Anacleto, Evariſtus; Evariſto, Alexander; Alexandro, Sixtus; Sixto, Teleſphorus, Teleſphoro, Iginus; Igino, Anicetus; Aniceto, Pius; Pio, Soter; Sotheri, Eleutherius; Eleutherio, Victor; Victori, Zepherinus; Zepherino, Calixtus; Calixto, Vrbanus; Vrbano, Pontianus; Pontiano, Antherus; Anthero, Fabianus; Fabiano, Cornelius; Cornelio, Lucius; Lucio, Stephanus; Stephano, Xiſtus; Xiſto, Dionyſius; Dionyſio, Felix; Felici, Eutichianus; Eutichiano, Caius; Caio, Marcellinus; Marcellino, Marcellus; Marcello, Euſebius; Euſebio, Miltiades; Miltiadi, Sylveſter; Sylveſtro, Marcus; Marco, Iulius; Iulio, Liberius; Liberio, Damaſus; Damaſo, Siricius; Siricio, Anaſtaſius. Nos quoq; per tot ſæcula exindè ad nos uſquè continuatam Summorum Pontificum ſeriem facilè, ſi opus foret, referremus, & penes eos abſquè ullâ mutatione conſervatam & intemeratam ſemper fuiſſe veram Fidem & doctrinam ſanam in veritate, & unitate; non ſolùm ſecundùm ſubſtantiã, verùm etiàm ſecundùm modum docendi, explicandi, & intelligendi oſtenderemus efficaciter. Verùm cùm nullus unquàm

Hære-

Hęreticorũ contrarium efficaciter proba. verit,aut probare poſſit,non videtur inſtituto noſtro cõveniẽs, hiſce diutiùs immorari. Romæ itaquè Petrus Cathedrã fixit, ut vrbs ea,quæ fuerat terrarũ Gentiumq́; domina temporalis, fieret etiàm ſpiritualis. Cathedram fixit, non cathedras, quò magiſterii & doctrinæ unitatem colligas, quam Chriſtus adnotandam reliquit Mat. 23.2. *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, &c.* Zacharias itidèm Luc.1.70. *Sicùt locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſæculo ſunt Prophetarum ejus*, non per ora Sanctorum, quòd omnes ſemper quaſi unum os fuerint, ex quo perpetuò eadem veritas, eadem doctrina promanarît in poſteros. Et hanc unitatem etiàm advertit S. Cypr. lib. de unitate Eccleſiæ: *Vt unitatem*, inquit, *manifeſtaret, unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdèm originem ab uno incipientem ſuâ auctoritate diſpoſuit.* Et infrà ; *Exordium ab unitate proficiſcitur, Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & cathedra una monſtretur.* Et Optatus Milevitanus lib. 2. contrà Parm. circà initium: *Negare non potes, ſcire te in Vrbe Româ, Petro primo Cathedram Epiſcopalem*

ſcopalem eſſe collatam. In quâ una Cathedra, unitas ab omnibus ſervaretur &c. Vt iàm ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contrà ſingularem cathedram, alteram collocaret. S. Hieron. lib. contra Jovinianum: *Inter duodecim unus eligitur, ut capite conſtituto, ſchiſmatis tollere-tur occaſio.* Illius unitatis rationem reddidit Paulus ad Epheſ. 4. 5. *Vnus Deus, una Fides, unum Baptiſma,* atquè adeò, ut illi plenè reſponderetur, unus Supremus in terris Judex, & viſibilis Chriſti Vicarius conſtitui debuit: cujus poteſtas indefinenti ſucceſſione, in finem uſquè ſæculi conſervaretur: ut eſſet velùt turris Davidica, turris à facie inimici, in quâ illud Sophoniæ 3. 9. compleretur: *Reddã populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini, & ſerviant ei humero uno.* Quaſi diceret, Dabo Fidelibus caput unum viſibile, ex cujus ore continuò pendeant, & ſub quo conveniant ad fortiter ſuſtẽtandam unam Fidem, unam doctrinam. Quod exactiſſimè commendatum reliquit Apoſtolus 1. ad Cor. 1. 10. *Obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata: ſitis autem perfecti in*

Eli in eodem ſenſu & in eâdem ſententiâ. In unitate videlicèt Apoſtolicæ Eccleſiæ, de quâ illud Iſa. 19. 18. *Civitas Solis vocabitur una.* Eccleſia nempè Chriſti, qui Sol juſtitiæ eſt, & ſponſam ſuam jugiter illuminat, tùm per ſe, tùm per eos quos dedit Paſtores & Doctores, velut ſydera, quibus illud dicitur Matth. 5. 14. *Vos eſtis lux mundi.* Qui uni, ut ſummo Paſtori ſubſunt, unam in uno Chriſto Fidem docent, *Aſpicientes in authorem Fidei & conſummatorem Ieſum, qui propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit crucem.* Vndè optimè Angelicus Doctor ſuper illud Hebr. 13. 9. *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Doctrina Fidei*, inquit, *una eſt, quià à puncto in punctum non convenit ducere niſi unam rectam lineam. Omnes aliæ doctrinæ multæ ſunt, quià à recto multis modis contingit deviare.* Et quandoquidèm veritas, ſecundùm Philoſophum, conſiſtat in indiviſibili, hinc quicquid ab ejus tramite recedit, mendacium eſt. Quapropter in unicâ Romanâ Eccleſiâ, quæ una ab illâ unitate commendabilis eſt, veram Fidem & veram doctrinam eſt invenire. Vndè quamvis interdùm ejus Doctores in particula-

ribu

ribus opinionibus, eiſque indifferentibus, quæ principiis Fidei non adverſantur, diſcrepent; cùm in his liceat cuique ſuo ſenſu abundare : conveniunt tamèn omnes in unitate doctrinæ Chriſtianæ & Apoſtolicæ, ut iis rectè & appoſitè quadret illud Eccle. 12. 11. *Verba Sapientium ſicùt ſtimuli, & quaſi clavi in altum defixi ; quæ per magiſtrorum conſilium data ſunt à Paſtore uno. His ampliùs fili mi ne requiras.* Verba ſapientium, inquit, eorum ſcilicèt, quibus contigit ſapientiam invenire in loco, quem conſtituit Dominus; in Eccleſiâ, inquam, quæ eſt *Columna & firmamentum veritatis*, ab uno ſummo Paſtore de Cathedrâ Petri edocti : quales ſunt Hieronymus, Auguſtinus, Chriſoſtomus, Baſilius, & cæteri ſancti Patres, & Eccleſiæ Doctores. Cùm ergò Sedes illa ſemper fuerit radix Eccleſiaſticæ unitatis, oportuit omnes alias Eccleſias, quæ in illâ unitate Catholicâ vellent communicare, ad eam velùt notiſſimum ſignum & aquilam Imperatoriam Chriſtiani exercitus aſpicere. Ad quam etiàm perpetuò ab ipſis naſcentis Eccleſiæ initiis, velùt ad ſacram anchoram recurſum

ſum eſt, ut patet ex Sancto imprimìs Hieronymo, cujus unius teſtimonium ſufficiens ſit, ut quoſlibet Novatores confundat. Epiſt. igitùr de monogamiâ, ad Ageruchiam 11. cap. 3. *Antè annos plurimos*, inquit, *cùm in chartis Eccleſiaſticis juvarem Damaſum Romanæ urbis Epiſcopum, & Orientis atquè Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem*. Orientis & Occidentis, ut ex quâlibet parte mundi, à quâvis particulari Eccleſiâ Romanam Sedem conſultam videas: uti etiàm eumdem locum intelligit Rheatinus Epiſcopus, cúm ait; *Audis quod ex toto orbe, & ab omnibus Synodis ad conſulendam Apoſtolicam Romanam Sedem mittebatur*. Exindè verò, ubi ſe in Orientis deſerta recepiſſet Sanctus Hieronymus, ibidèm reperit admirabiles difficultates inter doctiores, circà formam & modum loquendi de myſterio Sanctiſſimæ Trinitatis: an ſcilicèt tres hypoſtaſes admittẽdę eſſent? Quæ altercatio potiùs circà modum loquendi, quàm ſentiendi de ſubſtantiâ myſterii videbatur. Quarè Epiſt. 57. & 58. ſcripſit Summo Pontifici Damaſo, cupiens ab eo edoceri modum loquendi.

quendi. *Quoniàm vetusto*, inquit; *Oriens inter se populorum furore collisus, indiscissam Domini tunicam, & desupèr textam, minutatìm per frusta discerpit, & Christi vineam exterminant vulpes: ideò mihi Cathedram Petri, & Fidem Apostolico ore laudatam censui consulendam, &c. Vbicumquè fuerit corpus, illùc congregabuntur & aquilæ &c. Apud vos solos incorrupta Patrum servatur hæreditas, ibi cespite terra fœcundo, Dominici seminis puritatem centeno fructu refert.* Et infrà: *Quamquàm igitùr tui me terreat magnitudo, invitat tamèn humanitas, à Sacerdote victimam salutis, à Pastore præsidium ovis flagito: cum successore Piscatoris, & discipulo crucis loquor. Ego nullum primum, nisi Christum sequens, Beatitudini tuæ, id est, Cathedræ Petri communione consocior. Super illam petram ædificatam Ecclesiam scio. Quicumq; extrà hanc domum agnum comederit, prophanus est. Si quis in arcâ Noe non fuerit, peribit.* Et mox: *Quicumq; tecum non colligit, spargit.* Et in fine ejusdem: *Quamobrèm obtestor Beatitudinem tuam, per Crucifixum mundi salutem, per* ὁμόσιον *Trinitatem, ut mihi epistolis tuis, sive tacendarum, sive dicendarum hypostaseon detur auctoritas.*

Hæc

Hęc Hiero. Admiremur eminentiſſimum Eccleſię Doctorẽ, quem totus mundus plenis faucibus maximum proclamat. Literas petit à Pontifice, quibus modus loquendi ei præſcribatur; imbutus ipſe à Deo altiſſimâ & abſconditâ maximè divinarum Scripturarum, myſteriorumque intelligentiâ, linguarum Latinæ, Græcæ, Chaldaicæ, Hebraicæ peritiſſimus, cui proindè commiſſam oportuit antiqui & novi Teſtamenti tranſlationem. Addiſcant Calvinus & Lutherus, eorumque ſequaces. Addiſcant Novatores, & erudiantur, vbi ſit ſapientia, *& locus intelligentiæ ejus.* Ad D. Hieron. confugerunt aliquandò ad perſcrutandas Sacras Litteras Auguſt. & pleraque alia lucidiſſima Eccleſiæ lumina: nihilominùs ipſe ſe judicio Romani Pontificis ſiſtit, de ſententiâ ſuâ non ſecurus, niſi eam ſuprà firmam petram fundet, & allidat. Verè Beatus ſecundùm illud Pſal. 136. ult. *Beatus, qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram.* Parvulos ſuos, diſcurſus videlicèt, & conceptus proprii intellectus adherere faciet Petræ, nempè Cathedræ Petri, quæ eſt Columna & firmamen-

mamentum veritatis; Nec ſolùm voluit magiſter admirabilis à Summo Pontifice edoceri, circà ſubſtantiam myſteriorum: ſed etiàm circà modum loquendi, ut colligere eſt ex ejuſdem epiſtolæ verbis, *Neſcio quid veneni in ſyllabis latet:* Ac propterea verba exigit, quibus explicari debeant, & ſubjunxit, *Diſcernite ſi placet, obſecro: non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis. Cõdatur nova pòſt Nicenam Fides, & ſimilibus verbis cum Arianis confiteamur Orthodoxi.* Perpendite hyperbolem. Sciebat Papã errare non poſſe, ideoque aſſerit ſe recepturum quidquid è Cathedrâ dictaret. Ad eum modum quo Paulus ad Gal. 1. 8. *Sed licèt nos, aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquàm quod evangelizavimus vobis, anathema ſit.* Non quod Angelus, aut ipſe Paulus aliquid ab Evangelio alienum eſſent docturi: ſed ut commendet firmiter adhærendum eſſe definitionibus Eccleſiæ, & doctrinæ Apoſtolicæ. Ità S. Ireneus expendens quamdam ſententiam S. Juſtini Martyris lib. 4. contrà hæreſes c. 14. *Præclarè*, inquit, *dixit Iuſtinus in libro quem ſcripſit contrà Marcionem, nè ipſi quidèm Domino ſe*

Fidem

Fidem adhibiturum, ſi alium Deum, præter ipſum mundi fabricatorem ei denuntiaret. Et Clemens Papa lib. 1. Epiſt. 58. docet hanc fuiſſe propoſitionem Apoſtoli Petri diſputantis contrà Simonem Magum. Cùm verò Summus Pontifex Damaſus diſtuliſſet reſpondere, ſcripſit Hieronym. Epiſt. 58. expoſtulans iterùm Romanæ Sedis definitionem: *Hìnc in tres partes*, ait, *ſciſſa Eccleſia ad ſe rapere me feſtinat, Monachorum circà manentium antiqua in me ſurgit auctoritas. Ego interim clamito: Si quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt. Idcircò obteſtor Beatitudinem tuam, per crucem Domini, per neceſſarium Fidei noſtræ decus, per paſſionem Chriſti, ut qui Apoſtolos honore ſequeris, &c. mihi litteris tuis, apud quem in Syriâ debeam communicare, ſignifices.* Nec ſolùm petiit ſenſum, ſed & verba: ùt colligere eſt ex epiſtolâ hanc præcedenti ſuperiùs citatâ: *Non ſufficit ſenſus, ipſum nomen efflagitant.* Sicùt Hieronymus, ſic ſemper etiàm alii Eccleſiæ Doctores, tàm Græci quam Latini, ex ore Summorum Pontificum verba vitæ deprompſerunt: utpotè quibus illud Iſaiæ c. 59. 21. dictum videtur; *Spiritus meus, qui eſt*

in te, & verba mea, quæ posui in ore tuo, non deficient de ore tuo, & de ore seminis tui, & de ore seminis seminis tui, amodò & usquè in sempiternum. Ab hac unitate communionis & successionis recesserunt Hæretici, tùm antiqui omnes, tùm nostri temporis Lutherus, Calvinus, Zuinglius, Oecolampadius, & cęteri hujus farinę, eorumque discipuli, & velut inobedientes mortui sunt. *Qui enim superbierit nolens obedire Sacerdotis imperio, qui pro tempore ministrat Domino, morietur homo ille.* Deuteron. 17. 12. Superbia olim Philosophos in materiâ doctrinę, teste August. lib. 18. de civit. Dei cap. 41. per sectas sejunxit: nàm Scientia inflat. Similiter Novatores spiritu superbiæ & ostentationis, in abissum divisionis, & omnium errorum pręcipites egit, velùt Babylonicę turris architectos, quos linguarum confusio derepentè sequestravit, cùm *inter superbos semper jurgia sint.* Prov. 13. 10. *Attendunt spiritibus erroris & doctrinis dæmoniorum in hypocrisi loquentium mendacium.* 1. Timoth. 4. 2. Profectò dicente Prophetâ Ose. 10. 2. *Divisum est cor eorum, nunc interibunt.* Superbia enim parens dissentionis

ſentionis eſt & mortis. Judam Iſcariotem imitantur, qui conquerenti Domino; *Vnus veſtrûm me traditurus eſt:* Matth. 26. 21. Reſpondit: *Numquid ego ſum Rabbi?* Animadverterunt Chriſoſt. Hieron. Euthimius in hoc cap. Matth. eum aliis Apoſtolis non ſe conformaſſe, reſpondentibus: *Numquid ego ſum Domine?* Eo quod infamis proditor, Deum ſuum traditurus, conceperat diviſionem, quam verbo & facto erat paraturus. Sic iſti reformatores Evangelii, quamprimùm ſpiritu diviſionis agitati, tranſlati ſunt ab eo qui eos *vocavit in gratiam Chriſti in aliud Evangelium.* Gal. 1. 6. Quod jàm olim nobis prędictum eſt de illis Iſaïę 22. 9. *Sciſſuras civitatis David videbitis, quia multiplicatæ ſunt.* Econtrà Catholici & Orthodoxi omnes, dùm ſunt in hoc mundo, & caliginoſo loco, ab illâ Petri Cathedrâ in unitate Fidei requirunt ſapientiam, de quâ Salomon Sap. 9. 13. *Quis hominum poterit ſcire conſilium Dei, aut quis poterit cogitare quid velit Deus.* Et v. 16. *Difficile æſtimamus quæ in terrâ ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenimus cum labore: quæ autem in cœlis ſunt, quis inveſtigabit? Senſum*

autem tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis? Certè Sapientia hæc non invenitur inter filios hujus ſæculi, nec *in terrâ ſuaviter viventium.* Job cap. 28. verſ. 13. Tantùm eſt invenire eam in Eccleſiâ Catholicâ : in quâ Cathedra Apoſtolica, velùt Sol refulget : de quâ prædixit Zachar. 8. 3. *Vocabitur Ieruſalem civitas veritatis:* De quâ & Apoſt. 1. Timot. 3. 15. *Hæc tibi ſcribo, ut ſcias quomodò oporteat te in domo Dei converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis :* Vbi eam quiſquis Fidelis & Catholicus eſt, majorum ſuorum veſtigiis inſiſtens, quærit. Illa enim eſt de quâ dixit Jacob Geneſ. 28. 16. *Verè Dominus eſt in loco iſto:* Verè *non eſt hic aliud, niſi domus Dei & porta Cæli.* Hujus rectoribus dixit Chriſtus Mat. 28. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum, omnibus diebus uſquè ad cõſummationem ſæculi.* Quorum legitima & vera ſucceſſio uſquè ad hunc Vrbanum VIII. in illâ Romanâ Sede perſeveravit & etiãnùm perſeverabit uſquè ad finem mundi. Sed forſitan objicient Sectarii. Vndè nobis conſtet Vrbanum VIII. verum eſſe

Chriſti

Christi Vicarium & Petri successorem? Respondeo sufficienter constare ex eo, quod ut talis ab Ecclesiâ per totum Orbem diffusâ recognoscatur. Neque enim Deus in re tanti momenti permiserit Fideles à veritate deviare. Neque hoc indiget majori probatione, cum tantâ evidentiâ contestatum sit, ut non nisi cum pervicaciâ possit adversùs illam succession-nem contendere. Nàm si motiva Fidei, quæ humanâ cognitione & percipiuntur, & perpenduntur, Fide præcedenti credi deberent, nullum esset credendi initium, esset processus in infinitum. Cavillationes Hæreticorum in contrarium non curavit S. Augustt. ut suprà vidimus, *Tenet me in Ecclesiæ gremio ab ipsâ Sede Petri Apostoli, usquè ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.* Noluit etiàm eas alios fideles curare, cùm dixit: *Numerate Sacerdotes, vel ab ipsâ Sede Petri, & in ordine illo Patrum, quis cui successerit, videte.*

His igitùr præmissis superest ut nœniis hominis consistorialis & Ministri Delphici respondeamus: quas omnes, neglectis quibusdàm nugis, ad quatuor capita di-

ſtinctionis & brevitatis causâ reduco. Vel enim arguit Summorum Pontificum ſplendorem & magnificētiam, quaſi paupertati & humilitati Christi & ſuorum majorum minùs conſentaneam: vel eoſdem ſuperbię damnat, quod Regiæ & Imperatoriæ Majeſtati ſuam præferant dignitatem: vel quod in ipſorum coronatione major illis reverentia exhibeatur, quàm Venerabili Sacramento: vel deniquè, quod Chriſti Vicarii non ſint, ſed Antichriſti.

Quantùm ad pompam illam & ſplendorem externum: ille Pontificiæ Majeſtati, tàm in eorum inauguratione & coronatione, quàm deindè in exercitio Pontificalis ſtatus apprimè debetur. Quis enim dixerit Summo Chriſti in terris Vicario ſummum honorem non competere? Qui terreni Principis vices obeunt, ſive legationis provinciam, ſive regimen Regni cujuſpiàm acceptarînt, quamvis humili loco nati, & honores impenſos admittere, & non impenſos exigere poſſunt & tenentur. Si enim quæcumquè Proregi exhibetur reverentia, ipſi Regi exhiberi cenſetur: ità quæ Pontifici defertur vene-

ratio,

ratio, non tàm in ipſum, quàm in Chriſtum redundat, cujus Vicarium agit, ipſo Chriſto atteſtante Math. 25. 40. *Quamdiù feciſtis uni ex fratribus meis minimis, mihi feciſtis.* Sicùt & vice versâ vituperia, contemptus, & irriſiones ipſi factæ, potiùs Deum tangunt, quàm ejus vices gerentem. Hînc Zacharię 2. 8. *Qui tetigerit vos, tangit pupillam oculi mei*, & 1. Reg. 8. 7. de Samuele, *Non te abjicerunt, ſed me.* Perpendant Reformati Evangelii ſectatores, quem abjiciant, quem ſpernant, dùm Vicarii Chriſti *dominationem ſpernunt, Majeſtatem autèm blaſphemant.* Porrò illa hoc corrupto ſæculo inter pleroſque conſuetudo eſt, ut magnifico cum apparatu incedentes faciliùs venerentur & impenſiùs, externo ſplendore ducti. Expedit autèm non modicùm ſubditos ad obedientiam ejus induci, cui Clementiſſimus Deus ad imperandum in rebus ad ſalutem animæ ſpectantibus provinciam legavit: & ad hoc plurimùm conducit apparatus iſte exterior, & poteſtas, quo ſatiùs coerceantur effrenes, nè leve Chriſti jugum excutiant. Nec idcircò ſuper-

bię aut arrogantię labes incurritur: ut tandèm cognovit Anachorita ille, de quo in vitis Patrum, qui dùm inanis gloriolæ tentatione pulsaretur, quod omnes in paupertate & sui abjectione superare viderètur: revelatione divinâ nihilomimùs didicit, Gregorium Papam in nullo ei cedere, quin imò multò esse superiorem. Minorem nàmque affectum in divitiis & honoribus collocârat Gregorius, quàm Monachus ille in suâ felicula. Dices fortè non esse eamdem Ecclesiæ modernæ faciem, quę fuit aliquandò primitivæ: in quâ Petrum, Linum, Clementem, & cæteros Summos Pontifices usquè ad prædictum Gregorium Fideles sanctè & salubriter rexisse, etiàm ipse Calvinus fatetur; in summâ paupertate, humili abjectione, & magnâ parcimoniâ vitam degentes sanctissimam. Quasi verò quęlibèt rerum mutatio illicò vitio vertenda sit. Nascente Ecclesiâ superborum & sublimium colla humilitate Christianâ Evangelicę veritatis jugo subjicienda erant: infirma enim mundi elegerat Deus, ut confunderet fortia. Verum matureścente

& quo-

& quodammodò ſeneſcente populo Chriſtiano, per majeſtatem & ſplendorem in debitâ reverentiâ, ac reverenti obedientiâ, quò magìs divina reluceret providentia, continendi erant tranſgreſſores, nè una ovis putrida totum gregem inficeret. Eccleſię ſuę exemplum ipſe Chriſtus in hoc reliquit. Pauper & egenus natus eſt in ſtabulo: poſtmodùm magnificus & glorioſus in monte Thabor apparuit. Opprobriis ſaturatus fuit in Cruce; poſtmodùm victorẽ ſe exhibuit in Reſurrectione, & in Aſcenſione triumphatorem. Is etiâm fuit veteris Synagogę ſtatus, quæ ab humillimâ paupertate, ſenſim ad ſummam magnificentiam devenit. In illius primordiis Jacob poſt viſam in ſomnis myſticam ſcalam Geneſ. 28. 18. *Lapidem quem ſuppoſuerat capiti ſuo, erexit in titulum fundens oleum deſuper.* Quid hoc ędificio exterioribus oculis vilius? erat tamèn *Domus Dei & porta Cæli.* Locus verè Sanctus, in quo Angeli aſcendebant & deſcendebant, cujus ſummitati Deus innitebatur: Quid oculis internis eo glorioſius? Occulta illa & abſcondita Majeſtas externo tandèm cultu

erat propalanda. Vivente Moyſe conſtructum eſt Tabernaculum Teſtimonii & Arca fœderis. Deindè populo in infinitum pœnè multiplicato, erectum eſt ſtupẽdum illud orbis miraculum, Templum Salomonis, centum quinquaginta myriadum ſumptibus expenſis. Nec pretio parcitum fuit, nec auro. Sacerdotum, Cantorum, & Cantatricum, & Sacrificiorum quotidianorum copia pœnè incredibilis. Deo ita volente, ut multiplicato populo, majus eſſet ſplendoris & magnificentiæ incrementum. Attamèn ſemper par fuit ubiquè gloria & majeſtas interna. Summitati prioris Templi Deus innitebatur: de ſecundo ſcriptum eſt Exod 40.32. *Operuit nubes Tabernaculum Teſtimonii, & gloria Domini implevit illud. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & majeſtate Domini coruſcante.* De tertio 3. Reg. 8. 11. *Non poterant Sacerdotes ſtare & miniſtrare propter nebulam: impleverat enim gloria Domini domum Domini. Hæc autem omnia in figurâ contingebant illis.* 1. Cor. 10. 11. & exindè in Eccleſiâ Chriſti ſponsâ completa ſunt: cujus tanto major gloria eſſe

esse debuit, quanto pòst se veritas figuram, corpus umbram, Christus Moysen, gratia legem intervallo relinquit. Attamen eâdem planè ratione, majestate & splendore ejus interno invariato, exterior in dies majora sumpsit incrementa. Vidit initium sub piscatoribus: deindè auctâ Fidelium multitudine splendidior. Persecutionum nihilominùs pondere gravis, ad perfectum debitumque splendorem devenire non potuit. At demùm Regum & Imperatorum sceptris cognitâ veritate Christo subjectis, eorumdèm ac cæterorum munificentiâ & liberalitate auctæ sunt Ecclesiæ facultates. Templorum ornatus, & cultus divinus celebrior factus est, sacrificia crebriora, numerosior copia Prælatorum, status externè splendidior. Quid mirum quod præcipuus honor, splendor & auctoritas in Romanum Pontificem congeratur, qui caput omnium est? Quid mirum si sellâ aut humeris sive Principum, sive aliorum, Vicarius Christi gestetur, genuflexione, & pedum osculo salutetur, longo stipatus comitatu incedat? Quod autèm Venerabile Eucharistiæ Sacramentum, in

quo

quo verum Christi corpus realiter contineri, & credimus & confitemur, in hâc solemnitate Pontificiæ coronationis præferatur (ut supponimus cùm hoc ipsum incertum sit) nihil indè sequitur vituperabile. Quid si præferatur in recognitionem collatæ tantæ majestatis & auctoritatis, ut eò flumina redeant, undè exierûnt? Visi sunt aliquandò terreni Principes subditorum suorum nuptiis interesse, sponsis primas absquè præjudicio suæ dignitatis & majestatis deferre: cùr Christus Vicarii sui inaugurationi non interfit, qui influxu interno & invisibili juxta promissionem suam eam ratificat & confirmat? Quę cùm ità sint, mirum non est Reges & Imperatores, ea Summo Pontifici exhibere obsequia, quæ omni loco & tempore à quolibèt mortalium ei debentur. Eo ampliùs, quantò Imperialis & Regia dignitas Pontificali inferior est. *Sicùt enim*, teste Angelico Doctore opusc. de regim. Princip. lib. 3. cap. 10. *anima rationalis excellit & longè superat corpus in suo esse & dignitate: ità regimen spirituale antecellit Regium & merè politicum, sive humanum.* Regimina enim,

ficùt actiones morales & humanæ, à fine ſpeciem & excellẽtiam deſumunt. Quantùm ergò æterna & cœleſtis tranquillitas, quæ finis eſt regiminis ſpiritalis, terrenam & temporalem, quæ finis eſt merè politici exſuperat, tantùm Princeps Eccleſiaſticus ſæculares quâvis dignitate fulgentes. Summus itaque *Pontifex ex hominibus* quidèm *aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis quæ ſunt ad Deum*, nec indebitum ſumit ſibi honorem, cùm ſit vocatus à Deo tamquàm Aaron: adeoque jure merito Patri communi & Paſtori univerſali Imperatores & Reges, more ſuorum majorum jàm à tot ſæculis in Eccleſiâ ſervato abſquè ullâ controverſiâ illum honorem impendunt, juxtà monitum Apoſtoli Ro. 13. 7. *Reddite ergò omnibus debita, cui tributum, tributum, cui vectigal, vectigal, cui timorem, timorem, cui honorem, honorem.* Soli Sectarii reſiſtunt poteſtati & Divinæ ordinationi, excutientes omne jugum, ut effrenes ſuos appetitus ſequantur. Quibus accommodari poteſt illud Threnor. 1. 5. *Facti ſunt hoſtes ejus in capite*: vel ut Septuaginta vertunt, *in caput*. Quià nimirùm ab hoc

hoc capite omnis hæreticorum pravitas retunditur & evertitur. Antichriſtum eſſe cavillantur, quaſi elatus ſit *ſupra omne quod dicitur Deus*. 2. Theſſ. 2. 3. Auctoritatem omnem & poteſtatem ſuam à Chriſto habet ſibi conceſſam : quomodò ergò Chriſto adverſabitur, ut Antichriſtus ſit? quantùm diſtat Prorex à Rege, Gubernator à Principe, tantùm diſtat Vicarius Chriſti à Chriſto : imò quantùm homo purus à Deo. Multùm quoquè intereſt inter exhibere ſe ut Deum, quod faciet Antichriſtus: & exhibere ſe ut Chriſti Vicarium & Eccleſiæ caput viſibile. Hoc fecit Petrus, non diffitẽte Calvino: nec Antichriſtus, aut homo peccati fuit, de quo Paulus. Ponet is non in cathedrâ Petri, ubi omnes Petri ſucceſſores ordine continuato, à Deo poſiti ſunt : ſed in Templo Hieroſolimitano, ubi ſe Deum venditabit, & à Judæis pro Meſſiâ recipietur, Joa. 5. 43. & 2. Theſſ. 2. 10. Nec deniquè venturus eſt, niſi deſtructo Romano Imperio : ità interpretes ſuper Dani. 7. & 17. Apocalyp. At Summus Pontifex etiamnùm florente imperio eandem, quam Petrus cathedram tenet,

tenet, in illo ipso splendore quo pridèm. Necdùm etiàm venerunt duo illi testes, qui per trium annorum spatium amicti sacco & cilicio, Antichristo resistent: à quo tandèm interfecti à mortuis resurgent. Apocalyp. 2. Neque Lutherus & Calvinus duo illi testes & Prophetæ fuerint, cùm nullum eis signum conveniat ex illis quæ ab Apostolo enumerantur. Restiterunt quidèm impudẽter Pontifici; sed non in sacco & cilicio, cùm carnales fuerint; neque interfecti sunt, neque resurrexerunt etiamnùm. Hæc breviter de Pontificibus Romanis in genere dicta sufficiant, de quibus latiùs apud neothericos. Nunc unico verbo respondendum ad illud quod Minister Delphicus objicit de Innocentio III. quod tom. 3. Conciliorum accingentibus se ad bellum transmarinum distribuat augmenta gloriæ? Nihil simile umquàm Innocentius III. somniavit. Neque enim loco citato aliud facit, quàm polliceri rectè facientibus, secundùm bona opera, in cœlis salutis æternę augmentum: quod Christus ipse asseverare non dubitavit Matth. 16. 27. *Filius enim hominis*

venturus

venturus est in gloriâ Patris sui, cum Angelis suis, & tùnc reddet unicuiquè secundùm opera ejus. Et D. Paulus Rom. 2. 6. *Thesaurizas tibi iram in die iræ, & revelationis justi judicii Dei, qui reddet unicuiquè secundùm opera ejus.* Et Sapiens Prover. 24. 12. *Qui inspector est cordis, ipse intelligit, & Servatorem animæ tuæ nihil fallit, reddetq; homini juxtà opera sua.* Vt verò impostura hominis toti mundo patefiat, & ex ungue leonem quilibèt agnoscat, ipsissima Innocentii III. verba subnecto. *Nos igitùr omnipotentis Dei misericordiâ & Apostolorum Petri & Pauli auctoritate confisi, ex illâ quàm nobis, licèt indignè, Deus ligandi atquè solvendi contulit potestatem, omnibus qui laborem propriis personis subierint & expensis, plenam suorum peccaminum, de quibus liberaliter fuerint corde contriti & confessi, veniam indulgemus, & in retributione justorum salutis æternæ pollicemur augmentum.* Aliud est distribuere, aliud polliceri. Distribuit Innocentius ex thesauro Ecclesiæ Indulgentias, juxtà potestatem (ut suprà vidimus pag. 160.) sibi ab antiquo concessam. Augmenta verò salutis æternæ non distribuit, sed pollicetur. Sicùt & ego

Emanueli

Emanueli noſtro, ſi convertatur & in ſancto propoſito uſquè in finem perſeveraverit, vitam æternam polliceor. Si verò prætereà heroïcis virtutibus, atquè pluribus bonis operibus incubuerit, juxtà opera ſua, augmenta gloriæ promitto. Circà Bonifacii VIII. geſta quæ nobis obtrudit, authorem ſuum in promptu habet Carolum Molinæum Gallum, juxtà indicem librorum prohibitorum in primâ claſſe, graviter de hæreſi ſuſpectum. Certè in his & in multis aliis, homini malè fido ægrè fido, præſertim quod tàm malæ cauſæ pejus patrocinium quærat.

MOTIVVM XXXVII.

QVod Romanus Pontifex vendicet ſibi poteſtatem, quam etiàm alii Sacerdotes exindè participant, rerum ſubſtantias remanentibus iiſdem accidẽtibus immutandi. Quàm immutationem Romana Eccleſia vocat Trãſubſtantiationem: res, ut putat, inaudita. Quod nequè in veteri, nequè in novo Teſtamento, nequè juxtà naturalem rerum ordinem, nequè ſupernaturalem, Deus umquàm quid ſimilè fecerit.

cerit. Quod ut ignaris hoc persuadeatur, oporteat adimere iis usum sensuum. Quod illud inter regulas Societatis JESV *proponatur, quo in Fide Romanæ Religionis confirmentur; quod si Ecclesia Catholica definiat aliquid esse nigrum, quod oculis nostris videatur esse album, potiùs nigrum credant quàm album. Quod Gabriel Biel super Canonem Missæ, dicat cœlos ad verbum Sacerdotis esse apertos, & majoris eum esse potestatis, quàm Angeli aut Diva Virgo: quæ etiàmsi omnem creaturam superet plenitudine gratiæ; cedat tamen illis, quibus regimen Ecclesiæ commissum est circà executionem mysterii. Invehitur deindè in similes plures modos loquendi Catholicorum, ut quod eadem potestas tàm malo quàm bono Sacerdoti conveniat, ad quorum verba Cœli aperiantur. Quod Romana Religio destruat plures articulos Symboli Apostolorum. Quod corpus illud quod Sacerdos sumit in Missâ, non sit de semine David, neque conceptum de Mariâ virgine, neque in ipsius utero formatum, sed quod sit panis coctus inter duo ferra, &c. qui distribuatur inter viginti millia communicantium, si urbem unam spectes: si verò totum mundum inter infinita: atque panem illum faciant infinitum & Deum. Quod*

contrà

contrà Articulum illum Fidei: Sedet ad dexteram Dei Patris, *Christum ponant in pluribus locis. Pleraſq; ſimiles nugas homine ſerio indignas ſiccè prætereo, quod reſponſum non mereantur. Eccè, Candide Lector, argumenta quibus Catholicam veritatem, circà Sacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum, hic conſiſtorii Delphici Doctor demoliri conatur.*

RESPONDETVR.

Ex Fide potiùs quàm ex ratione, & naturâ, Corporis Chriſti in Euchariſtiâ veritatem, quæ hîc oſtenditur, eſſe indagandam.

IN Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & Deum ipſum, relictis creaturis, modò virulentam linguam convertit. Molitur ab Eccleſiâ divinum æternæ hæreditatis pignus, & miſeræ hujus viæ, vitæque ſolatium quàm maximum dimovere. Stulti Novatores & tardi corde ad credendum, inſaniunt in his, quæ tàm apertè ſcripta ſunt in ſingulis quatuor

Evangeliis, & in Epistolâ Pauli ad Corinthios: ut vix Grammatici ulli, quantumcùmque etiàm conarẽtur, verbis perspicacioribus nobis mysterium hoc declarare possint. Cœnantibus discipulis Math. 26. 26. *Accepit Iesus panem & benedixit ac fregit, deditq; Discipulis suis, & ait: Accipite & comedite: Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis dicens: Bibite ex hoc omnes: Hic est enim sanguis meus.* Quid clariùs? non ampliùs panis est, non vinum: sed corpus, sed sanguis. Quicùmque Christiani sunt, Christo credant, non sensibus, quos decipi frequenter contingit. Errare non potest Christus. Via ipse, veritas & vita est. Nequè quod oculis videtur, creditur. *Est* enim *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* Hebr. 11. 1. Non apparet in hoc augustissimo mysterio corporeis oculis Christi corpus & sanguis: sufficiat Christum dixisse. *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*, ut ibi esse corpus & sanguis ejus credantur. In hoc enim potissimùm enitet fides & Religionis orthodoxæ excellentia, quod ab his quæ suprà naturam

naturam ſunt, capiat incrementum. Vulgare Hęreticis eſt, Quod ſenſu aut ratione non capio, non credo. Intrepidè quiſquis orthodoxus eſt etiàm ea, quæ ſuprà rationem humanam ſunt, Deo revelante & dicente, quià hoc eſt, credit & ſuſtinet. Clamitet Calvinus cum ſequacibus ſuis; Figura eſt, umbra eſt, non veritas: & ſola ſibi pervicacia fundamentum ſit. Si enim ad Sanctos Patres recurrat, tamquàm hoſpes & advena, à totâ antiquitate reſpuitur, quæ ab ipſis Apoſtolorum temporibus uſquè in hanc diem hunc locum ſemper litteraliter intellexit. Si ad Sacras Litteras; velùt earum proſtitutor retunditur. Clamant Evangeliſtæ, & Chriſtum aſſeverantem inducunt, Math. 26. 26. *Hoc eſt corpus meum.* Marci 14. 24. *Hic eſt ſanguis meus*, & rursùm Luc. 22. 19. *Hoc eſt corpus meum*, & Joan. 6. 56. *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus.* Intellige figuratè, ſi potes. *Verè* dicit, non figuratè, non tropicè. *Verè* dicit *eſt cibus*, non verus eſt cibus: ut omnem figuram, omnem tropum, removeat, & ſe oſtendat in omni proprietate loqui.

qui. Non ſicùt aliàs, *Ego ſum vitis vera* Joan. 15. 1. *Vitis vera*, non propriè, ſed comparativè; quò ſe viti veræ comparet, non viti alienæ, quæ expectatata *ut faceret uvas*, *fecit labruſcas*. Iſa. 5. 4. Ita Auguſt. ſerm. 80. in Joannem: *Hoc eſt corpus meum. Hic eſt ſanguis meus. Verè cibus*, *verè potus*: non comparativè, ſed propriè. Niſi enim manducaveritis: quid? an figuram & imaginem? nihil minùs. *Amen Amen dico vobis*, *niſi manducaveritis carnem Filii hominis*, *& biberitis ejus ſanguinem*, *non habebitis vitam in nobis*, Joan. 6. 54. Verba luce meridianâ clariora ſunt: quid ad ſimilitudines recurritur? *Ego ſum*, inquit, *panis vivus*, *qui de Cælo deſcendi*, *ſi quis manducaverit ex hoc pane*, *vivet in æternum*: *& panis quem ego dabo*, *caro mea eſt pro mundi vitâ. Litigabant ergò Iudæi ad invicèm*, *dicentes*: *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Joan. 6. 51. 52. & 53. *Litigabant Iudæi*, litigant Calviniſtæ. *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Deus eſt: hoc poteſt, rerum ſubſtantias convertendo. Omnipotens eſt: panem in corporis ſui, vinum in

ſanguinis

ſanguinis ſubſtantiam ſupernaturaliter convertit. Scandalizentur Judæi, ſcandalizentur Calviniſtæ. *Durus eſt hic ſermo & quis poteſt eum audire?* ibidèm v. 61. durus Judæis, durus Calviniſtis. Non credunt Chriſto: ſed *numquid incredulitas eorum, Fidem Dei evacuabit? abſit.* Rom. 3. 3. *Sciebat enim ab initio* JESVS, *qui eſſent non credentes, & quis traditurus eſſet eum.* Joan. 6. 65. Sciebat non credituros Judæos, non credituros Calviniſtas: potiùs eum tradituros: quod non rarò faciunt, ubi pugionibus & gladiis ſacras Hoſtias confodiunt, & ſacroſancto Sanguine, ad miraculum interdùm effluente, in cõfuſionem veſtram ſacrilegas manus reſpergunt. *Durus eſt hic ſermo*: ſuperat captum credere nolentium: ſcandalizantur. Sed audiant Chriſtum increpantem, Joan. 6. 63. *Hoc vos ſcandalizat? Si ergò videritis filium hominis aſcendentem, ubi erat priùs?* Vtrumquè credant igitùr, vel neutrum; cùm utrumquè ſuprà captum ſenſus humani ſit. *Multi diſcipulorum ejus abiërunt retrò, & jàm non cum illo ambulabant.* Abeunt & retrò Calviniſtæ, nec cum illo ambulant. Cùr verò

ita Judæi mittentes manum ſuam ad aratrum, velùt inepti regno Dei abiêrunt retrò? Loquebatur Chriſtus de verâ & reali comeſtione carnis ſuæ; illi non capiebant verbum hoc, *Durus hic ſermo.* Non poterant eum audire. Audiviſſent utiquè & intellexiſſent, (nihil enim cõtrà captum rationis dixiſſet) ſi ſymbolicè & figuratè locutus fuiſſet, non de veritate, ſed de ſimilitudine: nec tam facilè abiiſſent retrò. Sed ut oſtenderent, quod aliquid ſuprà naturam audiêrant, litigabant ad invicem dicentes: *Quomodò poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Chriſtus tamèn, qui deceptor animarum non eſt, iteratò jurejurando ingeminat, *Amen Amen dico vobis, niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem, non habebitis vitam in vobis*: ut intelligant eum ſymbolicè non loqui, & credant aliquandò quod non intelligunt, etiàm renitente ordine naturæ, qui cum cœlo & terrâ tranſibit, at *Verbum Domini manet in æternum.* Pſa. 116. 2. Dubitabant ſolùm Judęi: *Durus eſt hic ſermo.* At numquàm eò impudentiæ devenerunt, quò Calviniſtæ noſtri, ut

penitùs

penitùs inficiarentur, & abſolutè negarent. Hoc eſt, non corpus meum, ſed figura corporis mei: non ſanguis meus, ſed figura ſanguis mei. Nequè enìm plus Hæretici Venerabili Euchariſtiæ tribuunt, quàm mannę, agno Paſchali, & antiquæ Legis figuris. Judęus Chriſtum crucifixit inter homines viſibiliter converſantem: non veretur Calviniſta in Venerabili Sacramento realiter preſentem, opprobriis onerare, & injuriis, ac Diomede crudelior, equis manducandum objicere. Dicet fortè non ſe Chriſtum, ſed ejus figuram prophanare. Profectò non Judaicum, non Chriſtianum, ſed diabolicum eſt Redemptoris ſui, Creatoris, & Conſervatoris imaginem contemnere: ubi *dæmones credunt & contremiſcunt.* Pro minori crimine Judęi audiverunt. Joan. 8. 44. *Vos ex patre diabolo eſtis.* Certè novum illud & Calviniſticum Evangelium, nè diçam commentum, non poſſet niſi ex reconditiſſimis Inferni cavernis prodire, quod tales inſolentias in Chriſti figuram, imò in ipſum Chriſtum exerceri adeò maliciosè permittit & docet. Alienum à Chriſto eſt, ut oſtendi,

alienum ab Oecumenicis Conciliis, & à Sanctis Patribus : quod modò auctoritatibus paucis ex multis selectis facilè demonstrabo . Prętereó illos qui copiosiùs hâc de re scripserunt. Sufficiet imprimis S. Cyprianus serm. de cœnâ Dom. *Panis iste non effigie* (notent Novatores) *sed naturâ mutatus, omnipotentiâ Dei factus est caro.* S Hilar. l. 8. de Trinit. *De veritate*, inquit, *carnis & sanguinis non est relictus ambigendi locus.* Eusebius Emissenus relatus in c. quià corpus. de consecr. dist. 2. *Cœlestis confirmat auctoritas, quià caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Recedat ergò omne infidelitatis ambiguum , quandoquidèm qui auctor est muneris, ipse etiàm testis est veritatis: nàm invisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui verbo suo secretâ potestate convertit.* Ambr. lib. 4. de Sacram. c. 4. *Panis est usitatus : sed panis iste, panis est antè verba sacramentorum. Vbi accesserit consecratio, de pane fit caro Christi.* Vnum superaddo August. serm. 28. de verbis Domini. tom. 10. *Dixi vobis, quod antè verba Christi, quod offertur, panis dicatur: ubi Christi verba deprompta fuerint, jàm*

non

non panis dicitur, ſed corpus appellatur. Et in Pſal. 33. *David ferebatur manibus ſuis: manibus ſuis nemo portatur. Quomodò intelligatur in ipſo David ſecundùm litteram non invenimus, in Chriſto autem invenimus; ferebatur enim Chriſtus manibus ſuis, quandò commendans ipſum corpus ſuum ait, Hoc eſt corpus meum: ferebatur enim illud corpus in manibus ſuis.* Quod de reali & vero corpore intelligi debet, cùm alioquin David & quilibet alius ſine difficultate figuram ſuam in manibus portare poſſit. Idem Auguſt. relatus in cap. utrum. diſt. 2. *Corpus Chriſti & veritas, & figura eſt: veritas, dùm corpus Chriſti & ſanguis virtute Spiritus Sancti, in virtute ipſius ex panis & vini ſubſtantiâ efficitur: figura verò eſt id quod exteriùs ſentitur.* Deniquè Cyrillus Noſter Hieroſolymitanus Catheceſi 4. ſic habet: *Cùm Chriſtus ipſe dicat, Hoc eſt corpus meum, quis deinceps audeat dubitare?* Et inferius: *Aquam olim in vinum convertit in Cana Galileæ, & non erit dignus cui credatur, quod vinum in ſanguinem tranſmutârit?* Hęc itaquè Catholica veritas ſic antiquorum Patrum & omnium Orthodoxorum ſemper mentibus inſedit, ut

& ab invitis confessionem extorserit. Ipse Calvinus hujus acerrimus impugnator libello de Cœn. Domini, quasi palinodiam canit; rarò enim contingit mendacem sibi semper esse similem: aut saltèm testimoniorum evidentiâ convictus, sententiam suam fraudulenter texit sub nomine præsentiæ virus suum cooperiendo. *Necesse est*, inquit, *nos in cœnâ verè corpus & sanguinem Christi recipere*: & infrà: *Intelligimus Christum nobis in cœnâ veram propriamq; corporis & sanguinis sui substantiam donare.* Et in 1. ad Corinth. 2. *Concludo realiter, ut vulgò loquuntur, nobis in cœnâ dari corpus Christi.* Et lib. 4. Instit. cap. 17. §. 32. *In sacrâ cœnâ jubet me sub symbolo panis & vini, corpus & sanguinem suum sumere, manducare, ac bibere. Nihil dubito quin & ipse verè porrigat & ipse recipiam.* Audiamus ejusdem scholæ hominem, Plesseum lib. 4. de Euch. c. 2. *Dùm sacra cœna*, inquit, *ex præscripto Christi celebratur, Christum realiter & substantialiter recipimus.* Accessit his cæcus & cæcorum dux Lutherus in epist. ad Argentinenses. *Vellem*, inquit, *posset mihi aliquis persuadere nihil esse in Eucharistiâ, præ-*

ter

ter panem & vinũ: magno ille me beneficio devinciret. Iã sæpè gravibus curis in hâc materiâ desudavi, (ibidẽ testatur se quinquè annos in eo studio posuisse) *& videbã me hoc modo plurimùm posse Papatui incommodare. Verùm ego me captum video, nullâ elabendi viâ relictâ: textus Evangelii nimis est apertus.* Quod hoc Lutherus concedat, Evangelii claritas facit. Agnovit realem Christi in Sacramento præsentiam, etiàm eunte libidine in contrarium. In eo tamèn à veritate deviavit, cùm asserit panem & vinum simùl cum substantiâ corporis & sanguinis Christi remanere: ità ut simùl panis triticeus, & panis qui de Cœlo descendit, per modum unius butyracii more Belgico manducetur. Cujus asserti falsitas vel ex eo maximè colligi potest, quod id fieri deberet, vel per unionem hypostaticam, vel simplicem conjunctionem aut contiguationem. Per unionem hypostaticam fieri, dici non potest, cùm novum ibi esset mysterium Incarnationis credendũ, seu potiùs impanationis: assumeret enim Christus naturam panis, sicùt naturam humanam assumpsit: & quemadmodùm

vera

vera hæc eſt propoſitio & de fide: *Verbum caro factum eſt*, ita etiàm illa eſſe deberet, *Verbum panis factũ eſt*. Deberet itaquè fieri per nudam conjunctionem, aut contiguationem, contrà expreſſam Chriſti mentem. Nequè enim ex eo quod panis butyro conjungatur, vel corpus aliquod alteri per penetrationem connectatur, unum aliud eſſe dici poteſt: Chriſto nihilominùs dicente, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus, Panis quem ego dabo caro mea eſt &c.* Reſtat ergò, ut cum SS. Patribus & totâ antiquitate dicamus, quod panis & vinum in corpus & ſangninem Chriſti realiter convertantur & tranſubſtantientur, unâ ſubſtantiâ in alteram tranſeunte vi verborum conſecrationis, cùm illa Lutheri aſſertio & *poſitio* teſte D. Thoma 3. p. q. 75. art. 2. in corp. *contrarietur formæ hujus Sacramenti, in quà dicitur, Hoc eſt corpus meum. Quod non eſſet verum, ſi ſubſtantia panis ibi remaneret. Numquàm enìm ſubſtantia panis eſt corpus Chriſti, ſed potiùs eſſet dicendum, Hìc eſt corpus meum.* Nec eſt quod in vocem illam *tranſubſtantiatio* debacchentur hæretici (ut objectionibus Delphici

Delphici Magiſtri tandèm ſatisfaciam) cùm rei veritas ipſi patrocinetur, & nomen ipſum cõgruentiſſimum ſit. Rem ipſam ex verbis Chriſti probavimus, quantumcùmque obganniant. Audiant tamèn iterùm S. Ambroſium validiſſimum hæreticorum malleum lib. de iis qui myſter. init. cap. 9. *Sacramentum iſtud, quod accipis, Chriſti ſermone conficitur. Quod ſi tantùm valuit ſermo Eliæ, ut ignem de Cælo deponeret, non valebit ſermo Chriſti, ut ſpecies mutet elementorum? De totius mundi operibus legiſti, quià ipſe dixit, & facta ſunt: ipſe mandavit & creata ſunt. Sermo ergò Chriſti qui potuit de nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ ſunt in id mutare quod non erant? Non enim minùs eſt, novas rebus dare quàm mutare naturas. Numquid naturæ uſus præceſſit cùm* JESVS *ex* MARIA *naſceretur? Si ordinem quærimus, viro mixta fœmina generare conſuevit. Liquèt ergò quod præter naturæ ordinem Virgo generavit, & hoc quod conficimus, corpus ex Virgine eſt. Quid hîc quæris naturæ ordinem in Chriſti corpore, cùm præter naturam ſit ipſe* JESVS *partus ex Virgine. Ipſe clamat Dominus* JESVS, *Hoc eſt*

corpus

corpus meum. Ità præclarè S. Doctor, conversionem substantiæ in substantiam expressis verbis nos docet. Eamdem verò in sacris Litteris & aliàs auditam esse patet ex illo Joan. 2.7. quandò Christus in Canâ Galileę aquam in vinum commutavit. *Dicit eis* JESVS: *Implete hydrias aquâ: & impleverunt eas usquè ad summum: & dicit eis* JESVS: *Haurite nùnc. Vt autem gustavit Architriclinus aquam in vinum factam, & non sciebat undè esset, ministri autèm sciebant.* Vndè nec mirum esse debet, conversionem similem in hoc augustissimo Sacramento fieri; super quo facto appositissimè B. Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi. 4. Mystag. *Aquam*, inquit, *mutavit in vinum in Canâ Galileæ solâ voluntate: & non erit dignus cui credamus, quod vinum in sanguinem transmutâsset? Si enìm ad nuptias corporeas invitatus stupendum miraculum operatus est: cùr non multò magis corpus & sanguinem suum filiis sponsi dedisse illum confitebimur? Nàm sub specie panis datur tibi corpus, sub specie vini sanguis Christi: etiàmsi sensus tibi aliud renuntiet, Fides tamèn te confirmat. Procertissimo habe panem hunc qui videtur à nobis, non esse*

esse panem, etiàmsi gustus panem esse sentiat: & vinum quod à nobis conspicitur, tamètsi sensui gustus vinum esse videatur, non tamèn vinum, sed sanguinem esse Christi. Quamobrèm non malè determinat Societas JESV, standum potiùs esse & credendum verbis Christi & definitionibus Ecclesiæ, quàm propriis sensibus, etiàm reluctantibus, cùm eos decipi in multis frequens sit. Quod autèm tanta potestas solis Sacerdotibus competat, nihil absurdi. Quod ad nutum eorum cæli aperti sint, ut rectissimè docet Gabriel Biel, nullum inconveniens. Ità & Greg. lib. 4. dialog. c. 58. *Quis Fidelium dubitare possit in ipsâ immolationis horâ ad Sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Christi mysterio Angelorum choros adesse, unum quid ex visibilibus & invisibilibus fieri.* Placuit Domino ad tantam dignitatem ministros suos evehere, ut instrumenta suæ omnipotentiæ; non Angelos, non B. Virginem, quibus dictum non est, *Hoc facite in meam commemorationem*. Non ignoramus quidèm solum Deum in hoc ineffabili opere per modum causæ principalis concurrere: Sacerdotes verò sive bonos, sive malos,

per modum causæ instrumentalis, non propriâ virtute, sed divinâ; ut colligere est ex D. Ambr. lib. 4. c. 4. de Sacram. *Reliqua omnia*, inquit, *quæ dicuntur, laudem Deo deferunt, oratio præmittitur pro populo, pro Regibus, pro cæteris. Ubi venitur ut conficiatur Venerabile Sacramentum, jàm non suis sermonibus Sacerdos, sed utitur sermonibus Christi. Ergò Christi sermo hoc conficit Sacramentum.* Et Augustt. lib. de corpore Domini citatus in cap. utrùm de consecrat. dist. 2. *Intrà Ecclesiam Catholicam*, ait, *in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono majùs, nihil à malo minùs perficitur Sacerdote: quià non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus Sancti.* Ergò Christus ipse transmutat per Sacerdotem, tamquàm per instrumentum: ut qui Pater omnium existens, Virginis filius propter nostram salutem fieri non est dedignatus; sic nec dedignatur omnium Creator pro amore nostro à creaturâ suâ quasi creari. Non quidèm creatione propriè dictâ, cùm illa fiat de nihilo; sed per quamdam reproductionem ejusdem omninò corporis, quod ab Abraham, Davide, & gloriosâ

Virgine Mariâ accepit. Adeoq; non Deus triticeus est (ut non credentes blasphemant impii Calviniſtæ) nequè inter duo ferra formatus: ſed ille ipſe qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Mariâ Virgine. Nequè opus ideò novo Symbolo Apoſtolico. Juramus omnes in verbo illius, quod in hanc uſquè diem abſquè ullâ adulteratione à temporibus Apoſtolorum ſemper in Eccleſiâ ſervatum eſt. Figura, guſtus, quantitas, & qualitas panis, remanentes pòſt conſecrationẽ, accidentia corporis Chriſti non ſunt; ſed ibidẽ divinitùs conſervantur ſine ſubjecto, ut Fides locum habeat. Quamobrẽ licèt interdùm corrũpantur, aut à muribus rodantur, aut aliud quodvis incommodum patiantur, illud Chriſto Domino, aut corpori ejus non officit: cùm glorioſum ſit, immortale & incorruptibile: nequè in Sacrâ Euchariſtiâ ſit, velùt in loco aut ſpatio circumſcriptivè ut locum occupet, ſed modo quodam ſpiritali, & ſacramentali, ut cum Theologis loquar. Hinc fit quod etiàmſi diverſis in locis plura hoſtiarum millia ſimùl eodem tempore conſecrentur, in totidem

tidèm mirante naturâ, divinâ verò omnipotentiâ operante, ſimùl totus & idem Chriſtus reperiatur. Non quod infinitatis attributum, ſoli divinitati debitum, corpori Salvatoris noſtri attribuamus: cùm hoſtiæ quantumvis innumerabiles, numquàm infinitæ actu ſint. Scimus Chriſtum ad dexteram Patris aſcendiſſe, undè venturus ſit judicare vivos & mortuos, nequè dexteram Patris relinquere, nec ad ſingulas conſecrationes in terram deſcendere, aut umquàm de facto deſcendiſſe: ſed credimus & confitemur illud ipſum corpus, quod in Cœlis glorioſum ſenſibiliter, viſibiliter, & cum omnibus ſuis dimenſionibus & qualitatibus exiſtit, in omnibus hoſtiis ritè conſecratis, realiter & ſubſtantialiter reproductum eſſe & præſens, modo planè ineffabili, ſpirituali, indiviſibili, ſacramentali. Nec lubet ulteriùs indagare, cùm ſit ſuprà modum & rationem humanam; myſterium Fidei, non naturæ. Sufficiat neceſſum eſt cuilibèt Orthodoxo, quod Chriſtus aſſeruerit hoc eſſe corpus ſuum: eò magis quod Eccleſia Catholica, & Apoſtolica ità perpetuò

petuò docuerit,& Sancti Patres à ſęculo in ſæculum huc uſquè paſſim ſic cõfirmârint, ut non niſi infideli & pagano dubium eſſe poſſit. De cętero juxtà monitum Apoſtoli, captivamus intellectus noſtros in obſequium Fidei: & exiſtimamus, quod ſcrutatores majeſtatis plerumque opprimantur à gloriâ: atquè, ut dicitur Sap. 9 16. *Difficile æſtimamus, quæ in terrâ ſunt, & quæ in proſpectu ſunt invenìmus cum labore: quæ autèm in cœlis ſunt quis inveſtigabit? Senſum autèm tuum quis ſciet, niſi tu dederis ſapientiam, & miſeris Spiritum Sanctum tuum de altiſſimis?*

MOTIVVM XXXVIII.

QVod Eccleſia Romana in adminiſtratione Sacramentorum tantùm à primitivâ Eccleſiâ diſtet, quantùm fœtus ſuppoſititius à legitimo; quantùm ſanus ab infirmo. Quod in Sacramento Baptiſmi conferendo tot novitates adinvenerit, quarum nullum veſtigium ſit in Sacris Litteris, aut in antiquitate fundatum: videlicèt conjurationes & exorciſmos ſalis, aquæ & olei, ut ſint ſalus mentis & corporis, ad

ejiciendos dæmones, morboſq; pellendos. Quod ſalem baptizandorum ori imponendum doceat, dicaturq; Salutare Sacramentum ad effugandum inimicum: ità ut videatur quaſi ſalem pro octavo Sacramento admittere. Ridet deindè Cæremonias Eccleſiæ & exorciſmos quos adhibet ſuper baptizando. Interrogat undè ſciant Miniſtri Eccleſiæ diabolum eſſe in corporibus puerorum, antequàm baptizarentur? Vndè habeant quod ſalivam ſuam auribus & naribus infantium ingerere debeant? Vndè, quod oleo eorum pectora & humeros ungere? Deindè mentionem facit aliquarum quæſtionum, quæ inter Catholicos proponi ſolent: Vtrum Baptiſmus validè conferatur deficiente aquâ, in urinâ, jure, lixivio, aquâ roſaceâ, nive, luto, &c. Poſtremò aſſerit, quod Catholici, omnes indifferenter utriuſquè ſexus, tàm Fideles, quàm Infideles, Hæreticos, & Iudæos admittant, tamquàm veros miniſtros Sacramenti Baptiſmi: imò etiàm ipſum diabolum.

RES-

RESPONDETVR.

Noſtras Baptiſmi cœremonias non eſſe novas, ut ſunt Calviniſticæ.

VIdetur noſter Delphicus muſcas imitari hinc indè volitantes, & oportunè, ſeu importunè omnia interturbantes, & fœdantes. Nihil relinquit intactum; optimè novit omnia carpere, ſed nihil probare. Verùm priuſquàm cathegoricè objecta refellam, velim reſpondeat hiſce paucis: Cùr Calvinus ejuſque diſcipuli, in Baptiſmo cœremonias adhibent, quæ nec ex præcepto Divino, nec ex antiquo Eccleſiæ uſu, aut ſacris Litteris præſcriptæ ſunt? Cùr infantem baptizandum præcisè Dominico die, ubi frequentior eſt populi concurſus, ad Eccleſiam deferri vult? Cùr docet eos, qui infantem deferunt, debere ſpondere ſe illum in morum ac Fidei præceptis inſtructuros? Vndè habet, quod nomen baptizato tunc imponendum ſit? Vndè quod forma, linguâ vernaculâ pronuntianda? Vndè quod oratio Dominica,

Symbolum, & nonnullæ ſimiles preces tunc recitandæ? Veſtigium in ſacris Litteris, Sanctis Patribus, ac vetuſtis Eccleſiarum ritualibus monſtret. Circà nominis impoſitionem, eam à nobis mutuavit. Reliqua undè ? Orationem Dominicam, Symbolum Apoſtolorum ex Scripturâ quidèm deſumpſit; ſed baptiſmo eſſe applicanda, undè? Neque enim hęc aliundè quàm ex proprio cerebro Calvinus deprompſit. Itaque ſupponamus Pontificem aliquem Romanum cœremonias, quibus in Baptiſmo, aliiſque Sacramentis utimur, ſuâ auctoritate induxiſſe : minoriſnè ſit circà hæc Petri ſucceſſor & Chriſti Vicarius, poteſtatis quàm Calvinus? Profectò ſi mutandi fuerint Eccleſię ritus, aut novi inducendi in Rempublicam Chriſtianam, privatorum hominum & ſubditorum non fuit: ſed eorum dumtaxat, quibus Deus Clementiſſimus ligandi & ſolvendi provinciam commiſit : ne ſi hoc unicuique pro libitu liceret, brevi ſibi diſſimilis ſecundùm ſingulorum ingeniorum varietatem, Eccleſia redderetur. Quibus incommodis ſubjacere non poteſt, quandò penes caput

caput ſolum remanet illa poteſtas. Preſertim cùm cœremonię illæ non ſint de ſubſtantiâ Sacramenti, nec de jure divino, ſed poſitivo. Conſtat nobis Calvinum hoc temerariè uſurpaſſe inducendo incognita & inaudita: ſed Pontificem ſuo jure hâc in parte uſum fuiſſe non ità conſtat. Quandoquidèm ſatis manifeſtum ſit, Sanctam & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam in Sacramentorum adminiſtratione vix aliis hucuſquè uſam cœremoniis, quàm illis ipſis quas continuâ ſucceſſione ab Apoſtolis accepit. Atquè adeò eas novitatis falsò accuſant. Facile verò eſt omnium pœnè illarum, non quidèm originem, ſed antiquiſſimum uſum ex probatiſſimis auctoribus oſtendere. De benedictione aquæ Dionyſius Areopagita Apoſtolis coætaneus & Pauli diſcipulus mentionem facit Eccleſ. Hierarch. c. 2. de Baptiſmo his verbis. *Sacrâ appellatione, invocationeq; ſanctificatis aquis, cùm eas trinâ unguenti perfuſione, Crucis ſpecie perfecit, pariq; numero, ſacroſanctarum unguenti aſperſionum, &c.* Et infrà: *Ter quidèm illum qui initiatur, demergit.* Vides, hæretice, antiquitatem: ni-

hil clariùs. Idèm etiàm docet Cyprianus lib. 1. epiſt. ult. Ambroſ. lib. 1. de Sacram. cap. 5. Baſil. lib. de Spiritu Sancto c. 27. Vbi aſſerit hanc eſſe Apoſtolicam traditionem, & ſimiliter Auguſtinus lib. 6. contrà Julianum cap. 8. & alibi diverſis locis. De ſale ori Catechumeni ingerendo teſtatur Conc. Carthagineſe III. cap. 5. Origen. homil. 6. in Ezechielem. Auguſt. lib. 1. Confeſſ. cap. 1. *Signabar*, inquit, *jàm ſigno crucis ejus, & condiebar ejus ſale.* Etenìm cùm ſal ſapientię ſit ſymbolum, *Vos eſtis ſal terræ*, Math. 5. 13. ori ejus, qui baptiſmum ſuſcipit, imponitur, ut aptiſſimâ illâ cœremoniâ, donum ſapientiæ, unà cum Fide cæteriſque virtutibus divinitùs baptizatis infundi ſignificetur; ipſeque aliquandò myſteria Fidei cognoſcat & ſuo tempore ore confiteantur, *Corde enìm*, teſte Apoſt. Rom. 10. 10. *creditur ad juſtitiam: ore autèm confeſſio fit ad ſalutem.* Et quàmvis ſalutare Sacramentum ad fugandum inimicum iſta ſalis impoſitio appelletur, non idcircò creditur diſtinctum à Baptiſmate conſtituere Sacramentum. Sed ibidèm ſolùm accipitur pro Sacramentali,

mentali, seu Sacramenti accidente, vel cœremoniâ. Salus etiàm est mentis & corporis ad fugandos dœmones, morbosque pellendos, non tàm vi propriâ, quàm orationis ab Ecclesiâ fusæ virtute, & Sacerdotis benedictione. Exorcismorum & conjurationum in expellendis ab homine dœmonibus efficaciam, eorumque antiquitatem ostendunt imprimis Justinus in dialog. cum Triphone. *Illi*, inquit, *per nomen* JESV CHRISTI *adjurati*, nempè dœmones, *nobis parent*. Tertull. lib. de coronâ militum & alibi. Cyprianus lib. ad Demetrianum circà medium. *O si audire & videre eos velles, quandò à nobis adjurantur & torquentur spiritualibus flagris & verborum tormentis de obsessis corporibus ejiciuntur.* Item Dionysius Areopagita loco suprà citato. Ambros. loco citato, Leo primus epist. 4. c. 7. Nazianzenus orat. in Sanct. Baptis. *Nè exorcismi medicinam respuas, nec ob illius longitudinem animo concidas.* Cyrillus Cathe. 1. *Suscipe cœlestem thesaurum, & in exorcismis studiosè versare.* Cœlestinus Primus in epist. 1. ad Episc. Gall. cap. 12. *Sive parvuli, sive juvenes ad*

nes ad regenerationis veniunt Sacramentum, non priùs fontem vitæ adeunt, quàm exorcismis & exsufflationibus clericorum spiritus immundus ab eis abigatur. Et deniquè unus Aug. loco omnium sufficiet lib. 1. de sym. c. 1. tom. 9. *Parvuli exsufflantur, & exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas inimica, quæ decipit hominem.* Et ibidem lib. 4. cap. 1. *Omnia Sacramenta aguntur in vobis per ministerium servorum Dei, exorcismis, orationibus, canticis spiritualibus, insufflationibus, cilicio, inclinatione cervicum, &c.* Nec desunt Concilia antiqua & œcumenica, quæ assertum nostrum stabiliant. Quale est Constantinop. II. universale can. 7. Carthaginense IIII. cap. 7. Quarè admiror Novatoris hujus perfidam temeritatem, & Calvinisticum spiritum, cui antiqua planè, ut probavimus, nova sint. Interrogat an diabolus corpus infantium invadat in ipso utero materno pòst animationem, an pòst partum? Nos parvulorum corpuscula dœmonem nec invasisse, neque diversis motibus agitare dicimus; sed animam quę peccaverit, sive peccato originali, sive actuali mortali, filiam

am esse iræ, & sub inimici poreſtate conſtitutam: ac conſequenter quamdam ſubjectionem pati, quâ dœmon ſic ejus corpus & ſenſus præpediat, ut ad bonum reddatur inhabilior. Quod experientia docet in adultis, qui peccato mortifero obnoxii, quamdam difficultatem in exercendis operibus virtutum perſentiſcunt, quam in gratiâ conſtituti non advertunt. Per exorciſmos igitùr & exſufflationes removetur & arcetur inviſibilium ſpirituum poteſtas à corpuſculo & ſenſibus parvuli, ut ſic quodammodò diſponatur ad ſucipiendam in animâ gratiam baptiſmalem. Removentur impedimenta, & obices quos dœmon interdùm ad impediendum Baptiſmum aut effectum Baptiſmi ſolet obtrudere. Nec intereſt ſive adhùc in utero materno infans hæreat, ſive jàm natus lucem aſpiciat. Dùm ſub peccato originali eſt, æquè dominio ac poteſtati dœmonum ſubjacet utrobiquè. Sanctitas Matris illud non impedit: omnes naturâ naſcuntur filii iræ, mortis & damnationis. Vndè ut eripiantur, priùs adhibemus exorciſmos, deindè baptiſmum.

mum. Accuſet nos quantùm velit Calvinus cum ſuis aſſeclis: tantumdèm olim fecit Pelagius Calvini præcurſor apud Auguſtinum lib. 1. de nupt. & concupiſ. cap. 18. *Accuſat Eccleſiam*, inquit, *toto orbe diffuſam, in quâ utiquè omnes baptizandi infantuli, non ob aliud exſufflantur, niſi ut ab eis Princeps mundi mittatur foras.* Veſtigium itaquè antiquitatis habemus, niſi nos fallat Auguſtinus; quod abſit. Quod Sacerdos auribus ac naribus baptizandorum infantium ſalivam imponat, eorumque pectora, dorſum ac ſcapulas inungat oleo, nihil etiàm novum. Prioris meminit D. Ambr. lib. 1. de Sacram. cap. 1. Vbi refert exemplum Chriſti Domini, qui Marci 7. 33. muti linguam, & ſurdi aures ſputo linivit, & ſanavit, quod imitatur Eccleſia. Poſterioris meminit Clemens Papa Apoſtolorum diſcipulus lib. 3. recognitionum, *Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in aquis perennibus, nomine trinæ Beatitudinis ſuper ſe invocato, perunctus primùm oleo per unctionem ſanctificato.* Chriſoſt. homil. 6. in cap. 2. ad Coloſ. *Inungitur*, ait, *baptizandus more athletarum, qui ſtadium*

jàm

jàm ingreſſuri ſunt. Idem docent Ambroſ. Cyrillus, Auguſt. & alii. Nequè indè ſequitur, quod concludere tentavit, nos illis externis cœremoniis efficaciam & valorem Baptiſmi potiùs tribuere, quàm meritis, & pretioſiſſimo ſanguini Salvatoris noſtri JESV CHRISTI. Credimus & confitemur manifeſtiſſimè, coràm cœlo & terrâ, omnem Sacramentorum, adeoque & Baptiſmi virtutem ac valorem ab iiſdem meritis & Chriſti ſanguine, in noſtram ſalutem abundè profuſo, principaliter profluere: à Baptiſmi ſubſtantialibus materiâ, formâ, & miniſtri intentione inſtrumentaliter: à cœremoniis verò, ſine quibus & validum eſſet Baptiſma, ſolummodò quaſi diſpoſitivè, tamquàm cauſâ removente prohibens, non quidèm effectum Baptiſmi, ſed ejus faciliorem progreſſum. Ad quæſtiuncu-las illas, neſcio quo fine propoſitas circà materiam Baptiſmi, uno verbo cum Theologis reſpondetur: neceſſariam eſſe aquam veram & naturalem, ut omnis antiquitas ſemper tenuit & credidit. Et probatur ex Joan. 3. 5. *Niſi quis renatus*

fuerit

fuerit ex aquâ & Spiritu Sancto, &c. Vndè cùm urina, aqua rosacea, & similes mutaverint speciem, nec propriè possint dici aqua naturalis, non possunt etiàm esse materia hujus Sacramenti. Verum est, quod ob necessitatem hujus Sacramenti, si valorem præcisè spectes, omnes utriusque sexus fideles & infideles, boni & mali legitimi ministri sint, ut docet August. tract. 5. in Joa. circà med. To. 9. & cum ipso omnes Theologi orthodoxi, *Quid in Christo*, inquit, *non noverat Ioannes? potestatem Baptismi ipsum dominum habiturum, & sibi retenturum: sed ministerium planè transiturum in bonos & malos. Quid tibi facit malus minister, ubi bonus est dominus?* Dœmonem tamèn à Catholicis admitti hujus Sacramenti ministrum esse posse, falsissimum est. Nequè enìm ignoramus solis Sacerdotibùs ex officio, Diaconis ex commissione, reliquis hominibus in necessitate, solisque hominibus (utpotè in quorum salutem tantùm Sacramenta instituta sint) hoc ministerium competere. Ità Conc. Florent: Tertull. Hieron. & alii.

MOTIVVM XXXIX.

CONatur probare aliquot argumentis Sacrificium Missæ in Ecclesiâ Dei non esse admittendum. 1. *More solito asserit absquè ullâ probatione, incognitum fuisse in primitivâ Ecclesiâ, nullumq́ ejus vestigium reperiri in Sacris Litteris.* 2. *Esse superfluum probat, eo quod sufficienter & abundanter pro omnium delictis, in cruenti Crucis sacrificio satisfecerit Christus: undè Apostolus ad Hebr.* 10.8. Vbi autèm horum remissio, jàm non est oblatio pro peccato. *Vndè etiàm concludit: si Sacrificium Missæ remissionem peccatorum jàm abundè factam non operetur, nullo modo esse necessarium: aut si operetur, esse blasphemum, eo quod Sacrificium Crucis de insufficientiâ arguat.* 3. *Non admittendum probat ex illo Pauli ad Hebr.* 9.22. Sine sanguinis effusione, non fit remissio. *Atquè adeò cùm in Sacrificio Missæ non fiat effusio sanguinis, non fiet etiàm remissio, & per consequens erit superfluum.*

VRES.

RESPONDETUR.

Sacrificium incruentum rursùs impugnatum, denuò propugnando.

ANtichristi prodromos seu præcursores esse se satis palàm ostendunt Sectarii hujus sæculi. In persecutione Antichristi & ministrorum ejus, juxtà Danielis prophetiam, cap. 12. v. 11. auferetur ex Ecclesiâ juge sacrificium. Certum autèm est hoc intelligi non posse de cruentâ illâ Christi in cruce oblatione, quæ jamdudùm cessavit: neque de actu aliquo interno, cùm is non sit propriè & formaliter sacrificium: neque de ejusdem oblationis memoriâ aut valore, quià tempore Antichristi, & illa in reliquorum Fidelium mentibus perdurabunt. Reliquum ergò est, ut intelligatur Propheta loqui de Sacrificio externo visibili & incruento, cùm aliud nullum supersit. Quod dùm auferunt Hæretici, substituunt abominationem desolationis, de quâ Daniel. 12. & quantùm est de se, operantur ex nunc my-

sterium

sterium iniquitatis, de quo Paul. 2. Thess. 2.7. Nihilominùs Ecclesia Catholica credit & sustinet, incruentum illud & Sacrosanctum Missæ Sacrificium, nec desinit illud pro vivis & defunctis offerre. Prædictum enim est ab antiquis Prophetis, in novâ Lege futurum aliquod Sacrificium, quo Gentes ad Deum & Fidem conversæ illum essent jugiter veneraturæ. Isa. 19.21. *Cognoscent Ægyptii Dominum in die illâ, & colent eum in hostiis & muneribus, & vota vovebunt Domino, & solvent.* Quem locum S. Hieron. & Tertull. de hâc mundâ oblatione intelligunt. Clariùs Malach. 1.11. loco superiùs pag. 156. allegato & ponderato. ubi ostendimus Prophetam ibi prædicere Sacrificium quoddam in Lege novâ futurum, quod aliud esse non potest, quàm Sacrificium nostrum incruentum. Adeoque, ut impleantur illa quæ scripta sunt à Moyse & Prophetis, necessum est in verâ Dei Ecclesiâ Missæ Sacrificium admittere, quod in omni loco possit offerri. Probatur, iterùm ex Psal. 109.4. *Tu es Sacerdos in æternum, secundùm ordinem Melchisedech.* Proprium & principale Sacerdotis officium est

um est offerre Sacrificia: *Omnis enim Pontifex ad offerendum munera & hostias constituitur.* Hebr. 8. 3. Christus Dominus Sacerdos quidèm fuit in arâ Crucis: sed non secundùm ordinem Melchisedech. Ibi enim panem & vinum non obtulit, sed seipsum. Debuit ergò, ut sit illius ordinis Sacerdos offerre verum Sacrificium, quandò in cœnâ pretiosi corporis & sanguinis sui Sacramentum instituit. Dixit enìm indistinctè: *Hoc*, ideſt, Sacramentum & Sacrificium, *facite in meam commemorationem.* Atquè adeò Sacerdotes Catholici & Apostolorum successores, Missam ex institutione Christi celebrando, verum & propriè dictum Sacrificium offerunt. Eadem veritas ex sacris Evangelii verbis non obscurè colligitur. Matth. 26.26. *Accepit* JESVS *panem & benedixit, ac fregit.* Vbi Eucharistici Sacrificii partes, expressè declarantur, secundùm communem Ecclesiæ sensum à mille sexcentis & ampliùs annis semper receptum. Rursùs ex verbis paulò antè memoratis, *Hoc facite in meam commemorationem.* Verbum enim *facere*, ut alibi diximus, in Sacris Litteris sæpè pro sacrificare

ficare usurpatur. Deniquè probatur ex antiquo Ecclesiæ, tùm Græcę, tùm Latinæ usu, quem comprobant veteres Liturgiæ Sanctorum Petri, Jacobi & aliorum, & omnes unanimiter Sancti Patres: ex quibus paucos refero. Imprimis Clemens Romanus lib. 6. constit. cap. 23. Irenæus contrà Hæreses cap. 32. lib. 4. Cyprianus lib. 2. Epist. ad Steph. Papam de Concil. Ambr. lib. 5. de Sacram. c. 1. Theodoretus in Ps. 109. Hiero. Epist. 146. ad Damasum. Augustin. deniquè Epist. 95. & lib. 16. de civit. Dei ca. 22. In eamdem omnes conveniunt sentẽtiam, ut sacrosanctum illud, quod in Missâ peragitur, mysterium existiment, esse verum novæ Legis Sacrificium. S. Andreas, vt in vitâ ejus legitur, ad Proconsulem inquit, se quotidiè offerre Deo Patri Agnum immaculatum. S. Ignatius Apostolorum discipulus, qui Christum vidit, Epist. ad Smirnenses clarissimè de hoc incruento Sacrificio loquitur: *Non licet*, inquit, *sine Episcopo offerre, neque sacrificium immolare, neque Dochen celebrare.* Irenæus Lugdunensis Episcopus lib. 40. c. 32. *Eum qui ex creatur â panis est, accepit, &*

gratias egit dicens: Hoc est corpus meum. Et Calicem similiter, qui est ex eâ creaturâ, quæ est secundùm nos, suum sanguinem confessus est, & novi Testamenti novam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in universo mundo offert Deo. S. Cyprianus Martyr ità Cæcilio fratri scribit, *Admonitos autèm nos scias, ut in Calice offerendo Dominica traditio servetur, nequè aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit: ut Calix qui in commemorationem ejus offertur, mixtus vino offeratur.* Isidorus lib. 1. de Officiis. cap. 15. *Ordo Missæ vel orationum, quibus Deo oblata sacrificia consecrantur, primò à Sancto Petro est institutus: cujus celebrationem uno eodemq; modo universus peragit orbis.* Ex quibus omnibus evidentissimè docetur, hujus Sacrificii usum, tám in Ecclesiâ primitivâ, quàm in ejus progressu semper esse servatum. Reliquorum Sanctorũ verba etiàm clarissima prætereo, ne sim legenti tædio. Ratiunculas novelli hujus Theologiæ reformatoris ex Calvini & Lutheri armariis depromptas, ut faciles, & futiles, etiàm minimus nostræ Religionis Catholicæ Philosophus absquè labore explo-

exploſerit. A Chriſto ipſo hoc Sacrificium inſtitutum eſſe jàm vidimus, & in Sacris Litteris inſtitutionem ejus oſtendimus. Quod objicit Chriſtum ſufficienter in Cruce pro omnibus peccatis ſatisfeciſſe: adeoq; ſuperfluum eſſe Sacrificium novę Legis, niſi velimus fateri Chriſtum non ſufficienter ſatisfeciſſe, retorqueri poteſt. Eâdem enim ratione valeret hoc argumentum. Oratio Chriſti fuit infiniti valoris & æſtimationis apud Deum Patrem, & ſufficientiſſima, ut pro nobis omnia impetraret: ergò dùm Calviniſtæ orant, in ſuâ ſententiâ magnam inferunt ſufficientiæ orationis Chriſti injuriam. Non dubitamus, quin Sacrificium, quod Summus Sacerdos Chriſtus effuſo ſanguine in arâ Crucis immolavit, plenè & ſecundùm omnem rigorem juſtitiæ, pro redemptione totius humani generis fuerit ſufficientiſſimum: & ſimiliter credimus & confitemur, quod nec alio Sacrificio cruento, nec alterius cujuſpiam pretio aut valore diſtincto opus ſit ad noſtram ſalutem: ſed hoc aſſerimus, quod iſta tantùm intelligi debeant, quoad ſufficientiam, non quoad

efficaciam: alioquin nullus damnaretur, cum Christus pro omnium peccatis sufficientissimè satisfecerit. Requiritur igitùr aliquid aliud, ut efficaciter redemptio nostra, quàm Christus operatus est, suum effectum consequatur: ejusdem videlicèt infiniti pretii applicatio. Quæ congruentiùs fieri non potest, quàm per ea quæ Christus ipse instituit media, Baptismum scilicèt & alia Sacramenta, Sacrosanctum Missæ Sacrificium, & similia. Hoc sibi voluit Apost. Hebr. 5.9. *Et consummatus, factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.* Nonnè omnibus omninò? sufficienter quidèm; sed efficaciter omnibus dumtaxat, qui mandatis divinis obtemperant & mediis ad tantum pretium consequendum cõstitutis ritè & legitimè utuntur. Insuper incruenta illa & munda novę Legis oblatio, re ipsâ non distinguitur ab ipso cruento Crucis Sacrificio, cùm idem utrobiq; principalis Sacerdos sit & eadem hostia: adeoque idem Sacrificium, quod multoties ad prioris applicationem repetitur. Differt tamèn in modo, quod in priori intercesserit sanguinis effusio: in posteriori

riori verò illa non intercedat, licèt idem corpus & idem sanguis, qui in Cruce effusus est, in Altari realiter offeratur. In Cruce Christus fuit solus Sacerdos simul & hostia: in Altari Sacerdos in æternum, ita tamèn ut homine etiàm peccatore, non paris potestatis, velùt instrumento, ministro, aut Vicario utatur. Postremò, ut alteri objectioni fiat satis, quod ex Apostolo desumitur: *Sine sanguinis effusione non fit remissio.* Et *Vbi non est remissio, jàm non est oblatio.* Ergò cùm in altari non fiat sanguinis effusio, non fiet etiàm peccatorum remissio: atquè adeò si non sit remissio, jàm non erit oblatio. Dicimus in Sacrosancto Missæ Sacrificio illius cruenti fieri commemorationē & applicationem, atquè virtute ejusdem peccatorum remissionem.

MOTIVVM XL.

ARguit Romanam Ecclesiam tamquàm conscientiarum oneratricem: eo quod variis votis & observationibus Fideles subjiciat, quæ sub divini Verbi præcepto non cadant, nec in primitivâ Ecclesiâ practicata sint. Quod

homines rebus à Deo in eorum uſum creatis privet, quibus tamèn legitimè, & ſine ſcrupulo uti poſſint.

RESPONDETVR.

Laudabiliter opera pœnitentiæ & perfectionis ſuſcipi ac præcipi, etiàmſi Lege divinâ non præcipiantur.

ANimales homines ſunt adverſarii noſtri, & planè carnales nec percipiunt ea quæ Dei ſunt: filii diffidentię, deſideria carnis ſequuntur, *& admirantur non concurrentibus* nobis *in eamdem luxuriæ confuſionem, blaſphemantes.* 1.Pet. 4. 4. Horrent ad inſtar peſtis pœnitentiæ, abſtinentiæ, & mortificationis opera, & velùt dæmonis incitamenta deteſtantur. Quaſi verò diabolus non potiùs ad concupiſcentiam carnis, ad concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitę, quàm ad mortificatıonem, paupertatem, & humilitatẽ invitet. Quaſi verò non potiùs opera illa fuerint à Chriſto Domino & Apoſtolis verbo & exemplo commendata, & à Sanctis Patribus ſummâ

ſummâ contentione & ſtudio ſemper exercita. Certè vel in hoc ſolo liquet, quidnàm hæreſis Calviniſtica & Lutherana redoleat, dum hæc ipſa in tantum abominatur. Sed diſquiramus quo fundamento. Vel enìm opera pœnitentiæ & vota rejiciunt, quod de ſe malum ſit propter alicujus virtutis motivum rebus à Deo creatis abſtinere & ad hoc ſe obligare. Vel quod etiàmſi bonum ſit, vel ſaltèm indifferens; leges tamèn, præcepta, aut vivendi regulas, præter eas quæ in Scripturis nominatìm deſignatę ſunt, ferre de hâc abſtinentiâ malum ſit & illicitum. Primò ergò legum circà rerum abſtinentias latarum utilitatem & convenientiam paucis demonſtro. Cùm enìm verſentur circà temperantiam, quæ omnium judicio virtus eſt moralis & excellentiſſima, cujus pulchritudo omnium oculos & animos allicit, quis leges in materiâ virtutis tantæ ab habente poteſtatem latas contemnat? Hanc commendavit Chriſtus ſimul & prædixit Matth. 9.15. *Venient autèm dies cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc jejunabunt.* Vbi jejunium ſumitur generaliter pro omnibus

carnis

carnis mortificationibus. Matt. 11. 12. pòst laudatam Joannis Baptiſtæ auſteritatem Servator noſter clamat, *Regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.* Violenti, non molles, non delicatuli, qui modici jejunii præcepta, aut voluntariam carnis pro Chriſti amore macerationem, quantumcumquè levem ſuſcipere detrectant. In quorum caput illud evibratur, quod Matth. 11. 21. Judeis exprobratum eſt. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida, quià ſi in Tyro & Sydone factæ eſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olìm in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent. Pœnitentiam* non reſipiſcentiam, ut nugantur Sectarii, *in cinere & cilicio*, in aſperitatibus & auſteritatibus vitæ. In veteri Teſtamento Prælati, licèt minoris eſſent auctoritatis, quàm in novo, ſæpè jejunia indicebant, ut 1. Reg. 14. 24. Vbi *Saul adjuravit populum dicens: Maledictus vir, qui comederit panem uſquè ad veſperam, donèc ulciſcar de inimicis meis.* 2. Paralip. 20. 3. *Ioſaphat autèm timore perterritus, totum ſe contulit ad rogandum dominum, & prædicavit jejunium univerſo Iuda.* Et 1. Eſdræ 8. 21. *Et prædicavi ibi jejunium*

juxtà

juxtà fluvium Aha, ut affligeremur coràm Domino. Esther 4. 16. Quandò mandavit Esther Mardochæo, *Vade & congrega omnes Iudæos, quos in Susan repereris, &c. Non comedatis, & non bibatis tribus diebus, & tribus noctibus.* Item Dominus Deus Jerem. 35. summis laudibus effert Rechabitas, quod præcepto patris sui Jonadab, à diversis rebus aliàs licitis abstinuerint. In lege etiàm gratiæ abstinentia & mortificatio plurimùm commendatur. Imprimis Gal. 5. 24. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis.* Et ad Rom. 8. 13. *Si secundùm carnem vexeritis, moriemini: si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* 1. ad Cor. 9. 27. *Castigo corpus meum & in servitutem redigo, nè fortè, &c.* Addo deniquè quod quotquot à Christo nato (ut Patres, ac prophetas antiquæ legis fileam) ad nostra usquè tempora sanctitatis culmen adepti sunt, omnes omninò per mortificationis angustam viam eo pervenerunt. Quod exemplis clariùs patet, quàm ut expositione indigeat. Supervacanea esse opera meritoria asserunt Novatores, quod Christo Domino,

mino, & operi Redemptionis noſtræ injurioſa ſint, cùm is pro nobis in rigore juſtitiæ ſatisfecerit; ſed illius argumenti vim jàm ſuperiùs retudimus, cùm de ſacrificio Miſſæ ageretur. Hîc tamèm & illud addidero, quod dùm nos propter bona opera injuriarum reos agunt, ſimùl etiàm D. Paulum vas electionis in eâdem damnatione involvant. Etenìm ſi infinitus eſt Chriſti Paſſionis valor, non ſolùm quo ad ſufficientiam, ſed etiàm quo ad efficaciam; undè Coloſ. 1. 24. dicit: *Gaudeo in paſsionibus pro nobis, & adimpleo ea quæ deſunt paſsionum Chriſti in carne meâ.* Si infinita eſt Paſſio Chriſti, quomodò ei deeſt aliquid, quod à Paulo per paſſiones in carne geſtas ſuppletur? aut ſi deeſt aliquid, quomodò infinita? Certè reſponderi non poteſt, niſi ut nos ſuprà: quod infinita quidèm ſit quo ad ſufficientiam, ubi nihil ad implendum, ſeu ſupplendum reſtat: quod pretioſiſſimi ſanguinis inæſtimabile pretium ſufficiat ad plures, ſi darentur, mundos redimendos. Sed hoc ipſe voluit, ut infinitum illud pretium quilibèt ſigillatìm conſequeretur, cuilibèt

etiàm

etiàm figillatìm applicaretur. Quod Paulus circà se ad implevit passionibus suis in carne, castigando corpus suum, & in servitutem redigendo, bonum certamen certando, cursum consummando, fidem servando: ut sic coronam, non solùm benignitatis & misericordiæ divinæ, sed & justitiæ sibi repositam consequeretur: hoc est, debitam sibi ex justitiâ in suorum operum (quibus ea quæ desunt passionum Christi adimplevit, seu quibus passionis Christi merita sibi applicuit) remunerationem. Vnum itaquê è duobus necessarium est, ut vel in Christi passionem injurius fuerit Paulus, quod blasphemum est, vel Calvinus ejusque sequaces. Taceo quod in eamdem damnationem irretire cupiant Apostolorum Principem Petrum asseverantem 1.Pet.2.21. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Taceo, inquam, ut brevitati consulam innumera alia Scripturæ loca, quæ Calvinum, & ejus sequaces consistoriales Delphicos apertè condemnant. Et concludo, quod sive voluntariè, aut ex voto illa opera suscipiantur,

ut fit

ut fit præſertìm à Religioſis; ſive â Sanctâ Romanâ Eccleſiâ præcipiantur, laudabiliter admodùm & præcipi & ſuſcipi: Religioſos ſic corpus macerare, ut animam impinguent: Eccleſiam ſic ſubditorum ſuorum conſcientias onerare, ut eorum ſimùl profectum, perfectionemque plurimùm promoveat, & ad imitationem Chriſti, ejuſque Paſſionis exemplum per pœnitentias, corporis afflictiones, & alia opera meritoria incitet, & impellat. E contrà Calviniſmus omnimodam ſuis permittit ſine lege libertatem, ut velùt diſcincti nepotes, aut effrenes equi, quocumquè fert libido ſine conſcientiâ ferantur.

MOTIVVM XLI.

RVrsùm objicit, quod tales vivendi normæ Religioſorum nullâ lege Divinâ proponantur. Traditiones & inventiones hominum ſint in primitivâ Eccleſiâ ignoratæ, quas introduxerint quidam populariſ auræ amatores, atquè æſtimationem apud plebeculam vanè ambientes. Quod illa diverſitas Ordinum repug-

repugnet Apostolo 1. *Cor.* 1. 12. *Cùm alter dicat, ego sum Benedicti, ego Bernardi, ego Francisci, ego Carmelita,* &c. *Instar eorum, qui dicebant,* Ego quidèm sum Pauli, ego autèm Apollo, ego verò Cephæ, ego autèm Christi, &c. *Tandèm irruit in Venerabilem Societatem* JESV, *quasi præsumptuoso fastu sibi pulcherrimum illud nomen ad aliorum exclusionem usurparît. Quod ad virorum normam, diversa fœminarum erecta sint Instituta, è quibus illud potissimùm irridet, quod Patrum Iesuitarum vivendi modum imitari velit: quod Apostolico diplomate Vrbani VIII. fuit abolitum.*

RESPONDETVR.

Statuta Religiosorum quàm Scripturæ conformia, antiqua, & utilia. Reformatorum nomen ut Calvinistis conveniat.

AParitate rationis sic argumentor. Nullâ lege divinâ sancitum est, ut Hollandi tertiam aut quintam suorum pro-

proventuum portionem rebellibus Statibus perſolvant: ergò perſolvendi non ſunt. Vel ſic, Societas Claſſis Indicæ aliquot ſtatuta decrevit, quę omnes illi, qui eam ingredi, ejuſque lucris participare voluerint, tenentur obſervare: atquì hæc in Sacris Litteris non inveniuntur: ergò tamquàm traditiones hominum ſunt rejicienda. Dices, in genere cautum eſt, ut tributa perſolvantur, ut Dominis etiàm diſcolis & tyrannis pareatur, ut Fides in contractibus obſervetur. Fateor: ſed quâ Lege divinâ tanta tributi quantitas exſolvenda decernitur? Sic etiàm quęcumquè in Religioſorum Regulis pręcipiuntur, in genere ſancita ſunt, & ad Sacras Litteras reducuntur; aut ſunt media poportionata, quibus obſervantia punctualis Præceptorum divinorum promovetur; aut determinatio in particulari, quomodò aliquid in genere expreſſum, hoc vel illo modo exerceri debeat. Exempli gratiâ, mandatum eſt à Deo, ut Deum & proximum diligamus. Regulæ Religioſorum hoc ipſum ſtatuunt. At quià impoſſibile eſt in omni genere actuũ charitatis hoc pręceptum benè & perfectè adim-

adimpleri, determinant iis, qui eas liberè amplectuntur, in quale opus principaliter incumbendum sit. Prædixit Christus, ut suprà vidimus, quod cùm sublatus fuerit ab eis Sponsus, tunc jejunabunt: determinant Religiones quibus diebus & quomodò jejunandum sit, quomodò licitis corporum macerationibus indulgendum. Dixit Christus Matth. 26. 41. *Vigilate & orate*, *&c.* Prescribunt Religionum statuta, quandò vigilandum sit, quâ ratione orandum, & sic de cæteris. Si igitùr velint Hollandi ad tantam tributi quantitatem suos obligare, & eos qui Societatem, quàm vocant, Indicàm subintrant ad diversas conditiones: cùr non permittant à Catholicis iniri quasdam Societates, non lucri temporalis, sed meriti æterni gratiâ, & nonnulla statui, quibus ad divina Præcepta meliùs servanda unanimiter conspiretur? Temerariè profectò & perversè judicant, quicumquè tàm piarum, tamque laudabilium Congregationum authores ambitionis accusant, quos constat integerrimos & perfectissimos fuisse humilitatis amatores. Et quamvis summâ cum gloriâ

eorum laudes in ore hominum verſentur, non effectus fuit ambitionis, ſed virtutis, qui velùt umbra corpus, fugaces gloriæ viros ſequitur, & invitos aſſequitur: ſicùt ſui avidos fugit. Ineptiſſimè quoquè ad Religionum Inſtitutores applicantur duo illa loca Epiſt. ad Colloſſ. 2. 18. & 21. quibus Apoſtolus duas hęreſes in Eccleſiâ inſurgentes retundit. In primo enim ſic habet; *Nemo vos ſeducat volens in humilitate, & Religione Angelorum, quæ non vidit ambulans fruſtrà inflatus ſenſû carnis ſuæ.* Ibique invehitur in hæreſim, ſive Simonianam ſive Cherinthianam, quæ Angelos ſuprà Chriſtum extollebant, atquè eos ut mediatores ſuos, aut Deos medios, juxtà Platonicorum errorem, in humilitate ac Religione, id eſt, ſecundùm iſtam doctrinam, vilem, contemptibilem, ac ſuperſtitioſam adorabant, & Chriſtum tamquàm Angelis inferiorem negligebant. De hac hæreſi videndus eſt Tertull. lib. 1. de Præſcrip. adverſ. hæret. c. 33. 46. & 48. Chriſoſtomus & alii, quos citat Eſtius & Interpretes in hunc locum, & Concil. Laodicenum can. 35. Eumdem ſenſum non obſcurè jndicant verba Apoſtoli

ſtoli ſubſequentia ver. 19. *Non tenens caput*, (id eſt Chriſtum, qui caput eſt Eccleſiæ, non Angeli) *ex quo totum corpus per nexus & conjunctiones ſubminiſtratum & conſtructum creſcit in augmentum Dei*. Nos Angelos colimus: ità tamèn ut caput teneamus, & in totius corporis compage maneamus. Angelos colimus, non ut mediatores noſtros, qualis ſolus eſt Chriſtus: ſed ut noſtros apud Deum interceſſores. Angelos colimus, ut Chriſti miniſtros, non ſuperiores: ſicùt eos coluerunt Religioſorum Ordinum Patriarchæ, ſecundùm Eccleſiæ primitivæ uſum, non juxtà vilem & abjectam Platonicorum, Simonianorum, aut Cherinthianorum ſuperſtitionem. Atquè adeò nequè nos, nequè Religionum Authores tangit Apoſtolus: ſed eos potiùs, qui corporis Chriſti, quod eſt Eccleſia, unionem & communionem lacerant, ſicùt hæretici. Impertinentiſſimè etiàm applicatur Religioſis ſecundus locus ejuſdem Epiſtolæ v. 21. *Nè tetigeritis, nequè guſtaveritis, nequè contrectaveritis; quæ ſunt omnia in interitum ipſo uſu, ſecundùm præcepta & doctrinas hominum, quæ ſunt rationem quidèm*

habentia ſapientiæ in ſuperſtitione, & humilitate, & non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad ſaturitatem carnis. Ibi enim ſolos reprehendit Judæos, aut Chriſtianos Judaizantes, qui cibos aliquos, tamquàm immundos, tangere aut guſtare detrectabant. Nos omnes cibos mundos putamus, nec ab iis abſtinemus quaſi immundi ſint; ſed mortificationis majoris ergò, ut corpus noſtrum in ſervitutem mentis cum Apoſtolo redigamus, & peccatorum noſtrorum pœnas voluntariâ afflictione in hoc ſæculo demus. Nequè ibidèm Apoſtolus reſpuit præcepta & doctrinas hominùm, Chriſtianę doctrinę conformes, aut ad eam reducibiles; quales ſunt Religioſorum regulę: alioquin ſibiipſi contraveniret Paulus, cùm multa pręceperit, & multa docuerit: ſed eas ſolùm improbat, quę à Chriſto alienæ ſunt; quales ſunt Judęorum & Hęreticorum, quas ſuprà retutulimus. Ex his apparet quàm immeritò Religioſorum Ordines impugnẽtur, quaſi ſolùm humano ingenio inducti ſint, aut Chriſto contrarii. Pari temeritate & ignorantiâ Religioſus Status novitatis arguitur,

tur, quasi in primitivâ Ecclesiâ inauditus & incognitus, Etenìm omnibus vel mediocriter in historiâ temporum versatis, liquidò constat omni ætate & sæculo homines exurrexisse, qui sublimiori & eminentiori suprà vulgus cultu Deo deservierint. Genes. 4.26. Refert Spiritus Sanctus de Enos: *Ipse cœpit invocare nomen Domini.* Non quod non incœpissent antè ipsum Adam, Abel, Seth Pater ejus & cæteri: sed quià Religiosorum more, altiorem quamdàm vivendi normam, præter communẽ, sibi præscripserit. Nazaræi seipsos Deo consecrabant, & particularia quædam servanda Deo annuente assumebant. Numer. 6. Rursùs in veteri Testamento Elias & Elisæus, cum filiis Prophetarum, Religiosum institutum peculiariter incœperunt, atquè à divitiis & uxoribus abstinuerunt, teste Hieron. ad Rufinum & Epist. in ordine 4. à ca. 2. ubi ait: *Filii Prophetarum, quos monachos in veteri Testamento legimus, ædificabant sibi casulas propter fluenta Iordanis, & turbis urbium derelictis polentâ & herbis agrestibus victitabant.* Item Epistol. 13. ad Paulinum cap. 3. *Noster Princeps Elias*, in-

quit, *noster Eliseus, nostri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula prope fluenta Iordanis.* Insigne testimonium extat apud Jeremiam de instituto Rechabitarum, ac divinâ ejus approbatione, cap. 35. 6. *Non bibemus vinum: quià Ionadab filius Rechab, pater noster præcepit nobis dicens: Non bibetis vinum vos, & filii vestri, usquè in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non plantabitis, nec habebitis: sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, ut vivatis diebus multis super faciem terræ, in quâ vos peregrinamini. Obedivimus ergò filii Rechab patris nostri, &c.* atque ideò benedictionem unâ cum approbatione sui instituti à Deo susceperunt, ut videre est in fine ejusd. ca. *Propterea*, inquit, *hæc dicit Dominus exercituum, Deus Israel. Non deficiet vir de stirpe Ionadab filii Rechab stans in conspectu meo cunctis diebus.* Quod spiritualiter intellectum, etiamnùm hodie in Religiosis videmus adimpleri. Prædictis successit Joannes Baptista; de quo Chrisostomus hom. 1. in Marc. *Sicùt Sacerdotum Principes sunt Sacerdotes Apostoli: sic Monachorum*

chorum Princeps est Ioannes Baptista. Idem habet Nazianzenus: Hieronym. verò ad Eustoch. de custod. virginit. c. 16. de Eremitis agens: *Hujus vitæ*, inquit, *author Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, Princeps Ioannes Baptista fuit.* Ex Philone Judæo habemus mores, ac vivendi normam, quam S. Marcus Evangelista Monachis ac Monialibus Alexandriæ nascente primùm Ecclesiâ præscripsit: ac inter cætera paupertatis, continentiæ, jejuniorum, ac Psalmodiæ professionem tùnc in usu fuisse. Damasus scribit in vitâ S. Dionysii Papæ, qui secundo pòst Christum sæculo floruit, quod ex Monacho in Pontificem fuerit evectus. De S. verò Antonio, qui tertio sæculo vixit, scribit Athanasius in ejus vitâ, quod cùm vitam Monasticam amplecti decrevisset, ad senem quemdàm accessit, qui ab ineunte ætate vitam Monasticam fuerat professus. De Religiosis sui temporis plura August. li. 1. de morib. Eccles. c. 31. ubi ab eorum vitâ exemplari Manichęorum falsam continentiam, quantò magis Calvinisticum luxum ac impœnitentiam confundit. *Con-*

temptis, inquit, *atquè deſertis hujus mundi illecebris, in communem vitam caſtiſſimamq; congregati, ſimùl ætatem agunt &c. Nemo quidquàm poſsidet proprium.* Et paulò poſt: *Patres non ſolùm ſanctiſſimi moribus, ſed etiàm divinâ doctrinâ excellentiſſimi, omnibus rebus excelſi, nullâ ſuperbiâ* (advertant Sectarii) *conſulunt iis, quos filios vocant, magnâ ſuâ in jubendo auctoritate, magnâ illorum in obtemperando voluntate.* Eccleſiæ decus Auguſtinus quàm clarè Doctorem noſtrum Delphicum confutat? Superiorum Leges ſubditorumque obedientiam approbat, Religioſoſque ſuo tempore floruiſſe demonſtrat. Deniquè ipſimet Apoſtoli vitam communem & cœnobiticam exegerunt, quod irrefragabili teſtimonio Actor. 4. 32. liquet: *Multitudinis autèm credentium erat cor unum & anima una: nec quiſquàm eorum quæ poſsidebat aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia.* Eccè primitivæ Eccleſiæ faciem ad vivum paucis illis verbis expreſſam: quam & habemus hodiè in Eccleſiâ Romanâ, ſaltèm in Religioſis Ordinibus, apprimè & nativè delineatam, & ab Apoſtolis ad nos uſquè continuâ ſucceſſione

cessione deductam. Inter Calvinistas semper viguit, verbum illud divisionis, meum & tuum, nec quidquàm habuerunt umquàm commune, nisi forsitàn & vixdùm errorem. Tanta igitùr est Religiosi Status antiquitas : nec minor utilitas. Omnes enìm penè Sancti Patres & Ecclesiæ Doctores Grçci æquè ac Latini ex eo tamquàm ex fertilissimo seminario prodierũt, vitam Monasticam professi. Prodierunt, & quotquot penè insurgentia hæresum singulis çtatibus monstra, quibus Infernus Ecclesiam turbare & subvertere conatus fuit, profligaverunt. Quid igitùr mirum, si humani generis hostis per se ac suos ministros hçreticos in Sacras Religiones insurgat, ac totis viribus expugnare moliatur turrim illam David fortissimam, ex quâ *mille clypei pendent, omnis armatura fortium.* Canticor. 4. 4. Omne armorum spiritualium genus, orationes, jejunia, mortificationes, virtutum studia, *&c.* Quantùm verò hujusmodi arma adversùs dœmonum potestates valeant, Servatoris nostri testimonio clarum fit, Math. 17. 20 *Hoc genus non ejicitur, nisi per orationem*

tionem & jejunium. Chrisostomus per hoc genus, ait intelligi omne genus dœmoniorum. Et alibi: *Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* Math. 26. 41. Cœnobia itaquê Religiosorum nihil aliud sunt, quàm prædestinatorum seminaria, militum Christianorum academiæ, capilli sponsæ Christi Ecclesiæ, in quibus velùti in Sampsonis crinibus magnâ ex parte robur ejus & fortitudo consistit. Quibus abscissis facilè Dalila illudendam tradere Philisthæis. Hoc inter hæreticos Bucherus quidam adeò perspicuè cognovit, ut dicere non dubitarît: *Tolle Thomam & dissipabo Ecclesiam.* Porrò Religiosorum Ordinum diversitas non inducit divisionem in Ecclesiam Catholicam, in cujus unitate omnes conveniunt, ut alibi notavimus: nequè alias parit æmulationes, quàm virtutis; & eas quas Paulus nos habere desiderat 1. Cor. 12. 31. *Æmulamini charismata meliora.* Omnes siquidèm ad Charitatis perfectionem & unitatem, licèt diversis mediis, sicùt & diversæ mansiones sunt in Cœlo, totis viribus tendunt. Omnes sub uno capite invisibili Christo

Chriſto in Evangelicâ perfectione militant. Omnes ſub uno capite viſibili Chriſti in terris Vicario, in unâ eâdemque Fide coaleſcunt. Et ſi qua forſàn humanitùs naſcatur inter illos controverſia, unicum omnes recognoſcunt Superiorem, Paſtorem, ac Judicem, qui omnia determinet: Summum nempè Pontificem, cui in perſonâ Petri dictum eſt, Luc. 22. 32. *Confirma fratres tuos.* Et quamvis unuſquiſque Ordinum ſe à ſuo ſigillatìm Inſtitutore denominet, longè abeſt ab eorum errore quos reprehendit his verbis Paulus: Ego ſum Pauli, ego Cephæ, &c. Quoniàm illi exiſtimabant gratiam baptiſmalem virtuti miniſtri eſſe commenſurandam, & ab eâ procedere ſecluſo Chriſto, qui ut cauſa principalis inviſibiliter internum effectum Sacramentorum operatur. Vndè illicò ſubdit, 1. ad Cor. 1. 13. *Numquid Paulus crucifixus eſt pro vobis? aut in nomine Pauli baptizati eſtis?* Et cap. 3. ejuſd. epiſt. v. 4. *Quid igitùr eſt Apollo? quid verò Paulus? miniſtri ejus cui credibiſtis, &c.* & *Itaq; neque qui plantat eſt aliquid, neque qui rigat, ſed qui incrementum dat Deus.* Arguit itaque

itaque Paulus eos, qui ſchiſmata ſemina-bant, aſſerentes ſe majorem gratiam à mi-niſtro majori in baptiſmo ſuſcepiſſe: non autèm eos, qui ſe diverſorum Chriſti fa-mulorũ imitatores exhibere contendunt. Si enim hæc imitatio ſchiſma ſuſcitaret, cùr Paulus ad illam invitat cap. 4. ejuſd. epiſt. v. 15. *In Chriſto Ieſu per Evangelium ego vos genui. Rogo ergò vos imitatores mei eſtote, ſicùt & ego Chriſti.* Atquè adeò lici-tum erit omnium eorum, qui Chriſti imi-tatores fuerunt, veſtigiis inſiſtere, & ſe eorum ſectatores prædicare, & exhibere in unitate Fidei & charitatis, ſub unius Paſtoris ductu. Non ſic hæretici, non ſic, ſed tamquàm pulvis, quem projicit ven-tus à facie terræ, ſcinduntur in ſciſmata, & totidèm diviſionibus ſubjacent, quot ex hâc hydrâ infernali capita, in materiâ Fidei, & morum repullularûnt; Luthe-rani, Calviniſtæ, Zuvingliani, Huſſitæ, & mille alii, qui ſine capite omnis unitatis expertes, in mille errores præcipitantur, & in iiſdem contabeſcunt. Jàm pridèm hoc cognoverat Baſilius magnus, qui eâ de causâ ſalubri conſilio cenſuit, relin-quen-

quendos esse sibi ipsis Hæreticos: sic fore aliquandò, ut in tantâ animorum & doctrinæ discordiâ mutuis se morsibus jugulent atquè consumant. Inveteratum Hæreticorum odium in Patres Societatis JESV silentio transire non possum. Nodum in scirpo quærunt Novatores nostri, dùm eos arrogantiæ arguunt, quod nomen Societatis JESV sibi vendicent & usurpent, quasi cœteris exclusis: cùm laudabile maximè sit, authoritate præsertìm Apostolicâ, nomen sibi aliquod ex eo Redemptionis & Fidei nostræ mysterio, cui devotus est, petitum imponere ac retinere, absquè eo quod cæteros ab ejus mysterii devotione secludat. Jàm olim Institutа fuit Religio, cujus Sectatores Sanctissimæ Trinitatis nomine, Trinitarii nuncupantur: nequè tamèn ullus mortalium dixerit, quod nimiùm sibi arrogent, aut alios à Sanctissimæ Trinitatis fide, aut devotione arceant. Atquè in præsenti liceat respondere, quod unus ex Patribus Societatis, dùm in priori bello Germanico, à Christiano Alberstratensi captivus abduceretur. Interrogatus, cùr se ex Societate

cietate JESV jactaret, cùm cæteri etiàm juſti Societatem JESV ambiant & in eâ vivant? Simili interrogatione petitum diluit. Cùr Chriſtianus vocaretur ipſe Princeps, cùm & alii omnes, qui Chriſtum profitentur, Chriſtiani dicantur. Sed quâ fronte, quo titulo, quâ ratione Evangelicorum nomen, ac Religionis Reformatæ ſibi arrogant Hæretici. Dicet fortè quiſpiam ex eis: Evangelici dicimur, quià nihil aliud præter Evangelium aut Verbum Dei ſcriptum admittimus: traditiones, leges, & alia quælibet humana commenta reſpuimus. Evangelium aut Verbum Dei ſcriptum admittant, qui tàm graviter ejus præcepta prævaricantur, dùm Traditiones, opera meritoria, & alia hujuſmodi, quæ expreſſima ſunt in Sacris Litteris rejiciunt, & ut ſuprà docuimus, impudenter contemnunt? Illi ſint Religionis Reformatæ, qui ſublato bonorum operum merito, hominum animos in omne malitiæ & nequitiæ genus præcipites trahunt? Deformatæ potiùs Religionis ſunt, qui intrinſecùs & extrinſecùs omnia deformant. Intrinſecùs, cùm inter-

internorum actuum medullâ careant, illoſque velùt vanos & inutiles vilipendant. Extrinſecùs, cùm longè abſint ab illâ externâ Eccleſiæ pulchritudine, quæ in ornatu, cœremoniis & admirabili rerum omnium ordine conſiſtit; & ſubſtantiales partes, ſine quibus vera Religio conſiſtere non poteſt, ut ſunt Sacerdotum, Sacrificium, Lex, & pleraquè Sacramenta penitùs ſuſtulerint. Legem quidèm, cùm Eccleſiaſticam omnem detentur: & Divinam non juxtà Sanctorum Patrum & Eccleſiæ ſenſum; ſed juxtà proprium ſui cujuſque cerebri captum interpretentur & ſequantur, ut illis ſit pro lege & pro ratione voluntas. Nullum pariter habent Sacerdotium, ut apud omnes in confeſſo eſt. Nequè illis patrocinatur (quo tamèn omnes recurrunt) illud 1. Petri 2. 9. *Vos autèm genus electum, regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquiſitionis*: quaſi omnes prorsùs in lege gratiæ Sacerdotes forent: cùm ibi ſolùm loquatur de quodam Sacerdotio metaphorico, ſeu myſtico: non de verè & propriè dicto, quale requiritur in omni verâ

& perfectâ Religione, ut notavit Auguſt. lib. 19. contrà Fauſt. c. 2. Oportet enim ut veri Sacerdotes diſtinguantur à populo, & ſacrificia pro eo offerre, & intercedere poſſint: ut colligitur ex illo Apoſt. Heb. 5. 1. *Omnis namq; Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerant dona & ſacrificia pro peccatis.* Quaſi diceret, quod aliquis è populo eligatur, qui ſit verè Sacerdos: non autèm quod omnis populus ſit Sacerdos verè & propriè dictus ſed tantùm latè & metaphoricè. *Nec enim quiſquàm ſumit ſibi honorem: ſed qui vocatur à Deo tamquàm Aaron.* Sacrificium ipſimet palàm rejiciunt, & impudenter reſpuunt. Illud enim cruentum in Cruce peractum, ad quod videntur recurrere, manet dumtaxat in virtute, non tamèn in actu & formaliter. *Chriſtus* enim *reſurgens à mortuis, jàm non moritur.* Rom. 6. 9. Quarè neceſſariò recurrendum eſt ad incruentum; & cùm illud non admittant, nullum ſibi reſervant. Sic etiàm Sacramenta omnia, excepto Baptiſmo & Matrimonio, miſſa faciunt. Vndè igitùr Evangelica eſt Calviniana

aut

aut Lutherana hæresis? Planè nec in substantialibus, nec in accidentalibus. Vndè Religio Reformata? Non aliter sanè, quàm si reformatam sic intelligas, ut vulgari sermone Legiones aut Cohortes Reformatæ dicuntur, dùm annullatæ fuerunt, & exauctoratę. Ità ut verum sit dicere: Ea quę viguit quondàm in Hollandiâ vera Religio, nunc reformata est in Synagogas Calvinistarum, hoc est, nulla apud eos ampliùs est Religio, sed merus atheismus, aut nescio quid opinionis, aut hęreseos in atheismum vergẽtis & declinantis. Quoad Sanctimonialium instituta, nec illa laude, nec suâ utilitate carent. Nequè mulieres à perfectionis tramite arcẽdæ sunt, ad quam virorum exemplo æquè laudabiliter aspirant, quidquid cavilletur Delphicus Minister. Minima autèm perfectio non est in perpetuâ virginitate Deo famulari juxta Apost. 1. Cor. 7. Quibus etiàm abundè ab Ecclesię Prælatis provisum est, ut per clausuram perpetuam ab occasionibus removeantur, & earum fragilitati subveniatur. Quod autèm illas mulierum congregationes, quæ absquè auctoritate Apostolicâ, commu-

nem vitam agebant, & forsitan Societatis JESV Patres imitari videbantur, diplomate Pontificio ad futuri cautelam reprobârit Vrbanus VIII. eâ fortè de causâ fieri contigit, quod non interceſſerit priùs auctoritas Sedis Apoſtolicę, aut quòd ad clauſuram non obligarentur: licèt earum zelus interim vituperabilis non fuerit.

MOTIVVM XLII.

QVod Eccleſia Romana inter cætera, quibus hominum conſcientias onerat, Clericis & Religioſis indicat cœlibatum: interdicendo per votum ſolemne ſanctum matrimonium; quamvis aliàs ab affectionibus, quæ ad ejus legitimum uſum impellunt etiàm eos, qui vas ſuum volunt poſſidere in ſanctificationem, minimè ſint immunes. Quod in ſacris Literis nihil ſimile reperiatur: neque Patriarchis, neque Apoſtolis, aliiſq; in Eccleſiâ primitivâ prohibitum fuerit matrimonium. Quod ex hujuſmodi prohibitione ſternatur via graviſſimis peccatis. Quibus conſideratis Pius II. Pontifex maximus teſte Platinâ, cenſuit quod quamvis propter graves & urgentes rationes interdictum fuerit matrimonium,

monium, attamèn ob rationes longè graviores Sacerdotibus esse permittendum. Et D. Bern. serm. 66. in Cantica: Tolle, *inquit,* de Ecclesiâ honorabile connubium, & thorum immaculatum; nonnè reples eam concubinariis, incestuosis, seminifluis, mollibus, masculorum concubitoribus, & omni denique genere immundorum?

RESPONDETVR.

Clericorum cœlibatus antiquus, & laudabilis.

RElusciant adversarii nostri antiquas Vigilantii & Joviniani hæreses, quas olim extirpavit & delevit Sanctus Hieronymus Epist. 53. ad Riparium, & lib. 1. contra Jovinianum. Eum legat consistorium Delphicum, & inveniet errorem suum, vel me silente, confutatum. Legat cæteros Ecclesiæ Doctores, qui omnes Hieronymo subscribunt: & reperiet, ac videbit, Lutherum & Calvinum sic se in Angelos lucis transmutare non potuisse, quin vel in hoc solo duo cornua, quæ à

Patre ſuo diabolo ex inteſtato receperunt, invitè patefaciant. Alterum quod virtuti illi cœlicę, caſtitati nempè, & integritati, adeò adverſentur: alterum, quod omnis Religioſi cultus ſeſe inimicos oſtendant. Etenim apud omnes penè nationes invaluit, ut qui pręeſſent ſacrificiis, ad plura ſtrictiùs adſtringerẽtur, quàm vulgus. Ipſi Gentiles lumine naturę ducti, eos quos ut Deos habebant purâ mente & corpore illibato eſſe colendos prędicabant, & ſemper irreligioſum ęſtimarûnt ad eorum cultum poſt uſum matrimonii accedere. Refert Hieronymus Gentium ſacerdotes ab uxoribus abſtinuiſſe: imò & populi devitaſſe conſortia, jejuniiſque & aliis auſteritatibus vacare conſueviſſe, eo tempore quo ad ſacrificia ſuis Diis offerenda tenebantur. Idem aſſerit lib. 1. in fine contra Jovin. Hierophantas Athenienſium, cùm ad dignitatem Sacerdotalem evehebãtur, ſolitos fuiſſe frigidiſſimam aliquam potionem ſorbere, quâ ad actus venereos omninò inhabiles redderentur. Et quod mirabilius eſt, docet idem S. Hieronymus, quod Sacerdotes Ægyptii numquàm mulieribus

bus se miscuerunt: numquàm cognatos, propinquos, & liberos viderunt ex eo tempore quo cœperant altari deservire. Prætereo Vestalium castitatem studiosissimè semper assertam & conservatam, & alia hujusmodi: quibus docemur, inter densissimas Gentilitatis tenebras Ethnicos lumine dumtaxat rationis cognovisse, divinum Numē impollutâ corporis integritate religiosè colendum. Sectarii verò nec Deum verum, nisi uxore cognitâ venerandum esse contendunt, nec ullâ prorsùs significatione exteriori eum colunt: cæremonias, quas antiqui utriusq; Testamenti Patres devotissimè observârunt, irridենt: bona opera, jejunia, & austeritates, quæ in Dei cultum suscipiuntur, contemnunt: omne Sacrificium rejiciunt: & nunc quoquè ab illis, qui Deo immortali & invisibili quotidiè sacrificant, puritatem corporis & sacrum cœlibatum tollere moliuntur. Antiquæ Legis Sacerdotes veritatem Apostolicam & mentem Dei propiùs assecuti, in continentiâ mentis & corporis, nèdum à venere illicitâ, sed & à licitâ abstinentes, dùm altaribus esset in-

ſerviendum, Deo famulati ſunt. Et ſi vitam omninò cœlibẽ non degebant, plurimùm tamèn ſuprà vulgus eorum matrimonia coarctabantur. Habetur enim Levit. 21. 13. de ſummo Sacerdote: *Virginem ducet uxorem: viduam autèm & repudiatam & ſordidam non accipiet.* Tempore immolationis victimarum, per dies plurimos à matrimonii uſu arcebantur. Vndè cùm illi umbra fuerint Sacerdotum, qui in Lege Gratiæ conſtituendi erant, & quaſi laniones, animalium ſanguini immergerentur, & coquorum inſtar, inter ollas, ſartagines, & cacabos verſarentur; ut hinc Lex Moſaica & ejus juſtificationes, carnales dictæ ſint, ut videre eſt Hebr. 7. 16. & 9. 10. Itidèm apud Chriſoſt. orat. 13. in eamd. Epiſt. cujus verba hæc ſunt: *Quid eſt mandati carnalis? circumcide carnem, unge carnem, lava carnem, munda carnem, tunde carnem, &c.* Quantò magis illi, qui Hoſtiam puram, & immaculatam, ipſum ſcilicèt Dei Filium, ſub vini & panis ſpeciebus quotidiè manibus terunt; illam ipſam Hoſtiam, quę in Cruce pependit, quæ candor eſt lucis ęternæ, ac ſplendor paternæ glorię, in dies Deo Patri immo-

immolant, ab immunditiis carnis abstinentes, castitatem mentis & corporis illibatam servare tenentur. Quibus Chrisost. serm. de proditione Judæ: *Pura* inquit, *sit mens in omnibus, pura cogitatio, quià & Sacrificium purum est.* Non coluerunt quidèm perpetuum cœlibatum Sacerdotes Mosaici: sed quibusdam temporibus propagationi sui generis intendebant, eo quod Abrahæ semini promissus fuisset Messias; vel ut ait Ambr. in 1. Timoth. 3. quod diu vacarent à ministerio ob multitudinem, quæ tùm erat Sacerdotum, sic ut rarò cujusque vices recurrerent. Nunc autèm in Lege Gratię, cùm nec ampliùs Messias expectetur, adeoque ad propagationem humani generis non ità directè destinentur omnes, à conventu fœminarum, qui liberè statum Sacerdotalem acceptant, desistere coguntur: cùm necesse sit eos quotidiè in Ecclesiâ prestò esse. Elias & Eliseus perpetuam virginitatem coluerunt: aliqui etiàm alii in matrimonio sibi modum & limites prescripserunt, non ignari, quod continentia prophetandi muneri, & Dei colloquio perfruendo plurimùm conferret. Vndè

Hieron. Epiſt. 11. ad Ageruchiam de monogamiâ: *Hieremias*, inquit, *captivitate propinquâ uxorem prohibetur accipere. Ezechiel in Babilone: Mortua eſt, inquit, uxor mea, & apertum eſt os meum. Nec ducturus uxorem, nec ille qui duxerat, poſſunt in opere conjugali liberè prophetare.* Et lib. 1. cap. 11. contrà Jovinian. de Moyſe refert, quod cùm Sephoræ Sacerdotis Madianitæ perilluſtris filiç junctus eſſet, multoſque liberos ex eâ ſuſcepiſſet, per illam inſignem rubi viſionem à Deo vocatus, ut ſibi ſpecialiùs deſerviret, conjugio poſthabito, uxorem ampliùs non cognovit. Et hoc voluit Deus Exo. 3. 5. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Tunc enim ſolvere & relinquere calceamentum, idem erat ſymbolicè ac uxori renuntiare, ut colligitur ex Ruth 4. 7. Sic Mòyſes, cùm vidiſſet viſionem magnam, & Angelum, ſive Deum loquentem in rubo, nequaquàm ad eum voluit accedere, niſi ſolviſſet calceamenta de pedibus & abjeciſſet vincula nuptiarum. Nequè hoc mirum videri debet in Sancto Prophetâ, Legiſlatore atque amico Dei: cùm omnis populus ad montem Sina Dei eloquium per-

percepturus, non aliter dignè potuerit accedere, nisi postquàm tribus diebus fuerat sanctificatus, atquè ab uxoribus abstinuerat. Exod. 19. 16. Ità sanctè philosophatur magnus Ecclesię Doctor Hieronymus, cui subscribit Ambr. lib. 1. de officiis. cap. ult. ubi ad probandam Clericorum continentiam ultimum illud exemplum in medium producit. Cum quibus concludo Evangelicos Sacerdotes & Religiosos, qui toties ad Deum, tùm sacrificando, tùm orando accedunt, ac suam conversationẽ cum Paulo in cœlis habere debent, ac divino consortio frui, longè majori ratione à conjugiis esse arcendos. Ità ab initio nascentis Ecclesię praxis nos docuit. De S. Joanne certissimum est, quod illibatum virginitatis florem Deo consecrârit. S. Jacobum majorem in cœlibatu vitam transegisse sustinet Epiph. hæres. 58. Idem asserit de S. Jacobo minore hæres. 78. De S. Andreâ sentit Metaphrastes in vitâ S. Petri. De Paulo clarum est ex 1. Cor. 7. 7. & ex Hieron. Epist. 22. ad Eustoch. cap. 8. Ac denique cæteros etiàm Apostolos ad matrimonium numquàm convolasse existimat

Tertull.

Tertull.lib. de monogam. c. 8. & Hieron. lib. 1. contra Jovinian. cap. 14. ſolum Petrum ab hâc regulâ excipiendum putat. Non ità tamèn,quod tamquàm certum aſſerat, & in Eccleſiâ indubitatum. Quod & ſi qui præter ipſum conjugati fuerint, cùm ad Apoſtolatus honorem à Domino vocati ſunt, ſtatim conjugio renuntiaverint, juxtà conſilium Domini dicẽtis Luc. 14. 33. *Qui non renunciat omnibus quæ poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus.* Idipſum dicendum eſt de Epiſcopis Apoſtolorum ſucceſſoribus. Cùm enim pauci tunc temporis eſſent Chriſtiani, neceſſum interdùm fuit ad dignitatem tàm Epiſcopalem, quàm Sacerdotalem promovere conjugatos, non tamèn bigamos, præſtantes cùm doctrinâ tùm virtute, uti indicat Paulus 1. Timoth. 3. 2. *Oportet Epiſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris virum.* Qui eo ipſo vovebant & profitebantur caſtitatem, cum ſeparatione thori; & cum uxoribus, tamquàm cum ſuis ſororibus, converſabantnr. Ità explicandi ſunt antiqui Canones, & antiquiſſima Concilia, quæ mulieres quandoquè Epiſcopas, Presbiteras,

ras, Diaconiſſas, nuncupabant; eò quod Epiſcoporum, Presbiterorum, Diaconorum uxores eſſent. Sic Concil. Laodicenum II. Turonenſe, Antiſiodorenſe &c. Sic refert Gregor. lib. 4. Dialog. cap. 11. loquens de Presbytero Vrſino. *Ex tempore Ordinationis acceptæ, Presbyteram ſuam, ut ſororem diligens, ſed quaſi hoſtem cavens, ad ſe propiùs accedere numquàm ſinebat:* Accedit Apoſtol. ad Titum 1. 8. *Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe*, &c. *hoſpitalem, benignum, ſobrium, juſtum, ſanctum, continentem*, &c. non ſolùm à copulâ illicitâ, ſed etiàm licitâ abſtinentem. *Nemo enìm militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus*, 2. Tim. 2. 4. Conc. Ancyranum in Oriente antè annos mille & ducentos celebratum can. 10. decernit Diaconos, qui in ipsâ ordinatione non proteſtantur ſe affectare conjugium, non poſſe illud pòſt ordinationem inire: ſi autèm proteſtentur, cum diſpenſatione Epiſcopi poſſe. Neocæſarienſe paulò pòſt celebratum, anno ſcilicèt 314. ſic ſenſuit can. 1. *Presbyter ſi uxorem duxerit, ordine ſuo moveatur.* Concil. Carthaginenſe II. circà

annum

annum 394. can. 2. præclarum hujus veritatis dat teſtimonium his verbis. *Omnibus placet ut Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, vel qui Sacramenta contrectant, pudicitiæ cuſtodes etiàm ab uxoribus ſe abſtineant. Quod Apoſtoli docuerunt, & ipſa ſervavit antiquitas, nos quoquè cuſtodiamus,* Telum efficaciſſimum, quo nedùm Hæretici confodiantur, ſed & aliqui Catholici convincantur, qui à Siricio Papâ hoc decretum de Sacerdotum continentiâ promanaſſe contendunt. Sequuntur Concilium V. Carthaginenſe can. 3. Africanum ſub Cœleſtino & Bonifacio ca. 37. Romanum II. ſub Sylveſtro can. 8. & cœtera, quæ in Germaniâ, Galliâ, & Italiâ, & Hiſpaniâ celebrata ſunt. Omitto Sanctos Patres tàm Græcos, quàm Latinos, qui unanimiter idem ſentiunt. Sufficient utriuſque Eccleſiæ Græcæ & Latinæ Doctorum Principes, Chriſoſtomus & Auguſtinus. Quorum prior Homil. 2. de Patientiâ Job: *Dixit Apoſtolus,* inquit, *Vnius uxoris virum, non eâ ratione, quod id nunc in Eccleſiâ obſeruetur. Oportet enim omni prorsùs caſtitate Sacerdotem ornatum eſſe:* Ità illud Græciæ decus.

cus. Auguſt. verò lib. 2. de adult. conjug. c. 20. *Solemus eis proponere continentiam Clericorum: qui plerumquè ad eamdem ſarcinam ſubeundam capiuntur inviti, eamq; ſuſceptam uſquè ad debitum finem, Domino adiuvante, perducunt.* Vbi notandum eſt, quod initio Eccleſiæ ob penuriam virorum capacium, interdùm ad ſtatum Epiſcopalem aſſumerentur conjugati, qui uxoribus abſtinere cogebantur. Qui mos paulatim creſcente numero Fidelium abolevit, ità ut modò non niſi liberè & volentes in Epiſcopos aut Sacerdotes *poteſtatem habentes ſuæ voluntatis* conſecrentur. Vndè illa conſilia Pauli 1. Cor. 7. 8. *Dico autèm non nuptis & viduis, bonum eſt illis ſi ſic permaneant, ſicùt & ego.* Inferius v. 27. *Solutus es ab uxore noli quærere uxorem*, & v. 32. *Volo vos ſine ſolicitudine eſſe. Qui ſine uxore eſt, ſolicitus eſt quæ domini ſunt, quomodò placet Deo. Qui autèm cum uxore eſt, ſollicitus eſt quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori, & diviſus eſt, & mulier innupta & virgo, cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu.* Et paulò pòſt, *Porrò hoc ad utilitatem veſtram dico, non ut laqueum vobis injiciam,*

ſed ad.

ſed ad id quod honeſtum eſt, & quod facultatem præbeat ſine impedimento Dominum obſecrandi. Et v. 38. *Qui matrimonio jungit virginem ſuam, benè facit: & qui non jungit, meliùs facit.* Et tandèm, *Beatior autèm erit, ſi ſic permanſerit*, id eſt innupta, *ſecundùm meum conſilium: puto autèm quod & ego ſpiritum Dei habeam.* Vt quid ergò Novatores, nè dicam Apoſtolicæ doctrinæ deformatores, in tantum contrà Eccleſiam Catholicam latrant, quod admittat vota caſtitatis liberè & ſpontaneè voventium, cùm ſecundùm Apoſtolum caſtitas ſit majus bonum. Quod ſi majoris boni vota fieri laudabile non ſit & acceptum Deo, cùr vovit Jacob Domino in Bethel? Geneſ. 28. 20. Vndè Deuteron. 23 21. *Cùm votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere, quià requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatū: ſi nolueris polliceri abſquè peccato eris. Quod autèm ſemèl egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis, & facies ſicùt promiſiſti Domino Deo tuo, & propriâ voluntate, & ore tuo locutus es.* Pſ. 75. 12. *Vovete & reddite Domino Deo veſtro, omnes qui in circuitu ejus affertis munera.*

nera. Et de votis Legis Gratiæ prædixit Isa. 19. 21. *In die illâ colent eum in hostiis & muneribus & vota vovebunt Domino & solvent* : & alibi passim Scriptura. Sic voverunt Rechabitæ, sic Nazaræi. Ex quibus omnibus colligitur, quod etiàmsi præcepti divini non sit vovere, illo tamèn astringuntur ut reddant, quicumquè liberâ voluntate voverunt. Quamobrèm exigendo votorum adimpletionem, fidelium conscientias non onerat Ecclesia: cùm illa necessaria simpliciter non sint, sed libera; & necessaria tantummodò secundùm quid & ex conditione: sicùt necessarium est illi qui contractum aliquem inivit, ut pòst initum ab eo non resiliat, ut patet C. de pactis, l. pacta. Nequè enim in Legè novâ ad statum Religiosum quis cogitur, cùm eo ipso in Ecclesiâ Catholicâ vota profitentium invalida habeantur, quo illa inviti emiserunt. Congruentissimum tamèn fuit, & divino cultui maximè consentaneum, ut acceptato statu Religioso & votis liberè emissis, aut Sacris Ordinibus susceptis, ob rationes superiùs deductas, quilibèt perpetuam

castitatem colat, & spurcitiis carnalibus abstineat. Nec est quod nugetur Minister Delphicus, Religiosos interdùm affectionibus carnis & concupiscentiæ agitari, & interdùm impelli ad actus venereos: cùm illas etiàm Paulus in carne suâ persenserit, nec tamèn ideò veneri vel licitæ vel illicitæ indulsit. Sciebat enim quod *Fidelis est Deus, qui non patietur vos tentari, suprà id quod potestis: sed faciet etiàm cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.* 1. Cor. 10. 13. Quod objicitur ex Platinâ de Pio II. cui Sacerdotibus magnâ ratione sublatæ nuptiæ videbantur, majori tamèn restituendæ. Missum facio, juxtà multos, Platinam non ità rectè Sedi Apostolicæ affectum fuisse, ex eo quod à Paulo II. tormentis subjectus fuerit, tamquàm conjurationis reus: & dico nihil hoc cœlibatui Ecclesiastico officere, cùm nusquàm tale decretũ à Pio II. emanaverit. Quare dato etiàm quod illud aliquandò senserit ut Doctor privatus & particularis; numquàm tamèn è Cathedrâ ut Papa dictavit. Quod verò S. Bernardus serm. 66. in Cant. dicit Ecclesiam abominationibus & graviſſimis scele-

sceleribus replendam, si tollatur conjugiũ; nihil quoquè contrà nos facit. Quandoquidèm ibidem S. Bernardus reprehendat solos Hæreticos, ut Manichęos, & similes, qui matrimonium omnimodè ex Ecclesiâ tollere nitebantur. Quod nullus umquàm Pontificum in Ecclesiâ Catholicâ tẽtavit: ubi quibuslibèt semper nuptiæ licitæ fuerunt, illis dumtaxat exemptis, qui voto continẽtiæ se obstrinxissent. Nec est quod cœlibatui aut votis ascribantur peccata illa, quæ fieri quandoque contingit, cùm nec matrimoniis adulteria, aut alia non minùs detestanda ascribantur: & potiùs sit abusus votorum, & cœlibatus; quorum fructus est secundùm Apost. 1. Cor. 7. 34. cogitare quæ Domini sunt; esse sanctum & corpore & spiritu. Nequè voluit etiàm Paulus 1. Timoth. 3. 2. Sacerdotes connubia amplecti, ubi dicit: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum*: sed secundùm litterã vult *unius uxoris*, id est, non bigamos, in Episcopos eligi, quandò necessitas cogit conjugatos assumere; ut alibi diximus. Nec obest nobis loc. cit. 1. Timoth. 4. 1. *Discedent quidam à Fide, attendentes*

dentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, & cauteriatam habentium ſuam conſcientiam, prohibentium nubere, abſtinere à cibis, &c. Ibi enim invehitur Apoſtolus in Hæreticos, quales fuerunt Marcion, Manthes, & Tracianus, qui damnabant nuptias, quas numquàm Eccleſia Catholica damnavit; ſed contrà ſemper aſſeruit. Atquè adeò potiùs ibidèm prædictum eſt de Luthero, Calvino, & Conſiſtorialibus Delphicis: *Quià in noviſſimis temporibus diſcedent quidam à Fide, attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum, in hypocriſi loquentium mendacium, &c.* Cùm inimici caſtitatis, mortificationis, orationis, & aliarum virtutum, tantoperè à Chriſto, ab Apoſtolis, & SS. Patribus verbo & facto commendatarum, non capiant verbum iſtud: *Sunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum cælorum. Qui poteſt capere, capiat.* Matth. 19:12.

MOTIVVM XLIII.

Doctrinam Orthodoxam Eccleſiæ circà Purgatorium fabuloſam exiſtimat, quod repugnet

pugnet justitiæ, & misericordiæ divinæ. Iustitiæ quidèm, eo quod Christus pro nobis satisfecerit, qui secundùm Isa. 53. 5. Vulneratus est propter iniquitates nostras, disciplina pacis nostræ super eum: *Nec injustus sit, ut secundam satisfactionem exigat,* & sanguis JESV CHRISTI Filii ejus emundat nos ab omni peccato. 1. Joa. 1. 7. *Misericordiæ verò, eo quod Deus peccata remittendo, etiàm pœnam remittat: atquè adeò, quod semel ignovit, rursùm punire non potest.*

RESPONDETVR.

Et Purgatorii veritas multipliciter probatur.

NOn miror equidèm quod Calvinistæ in hoc vel futuro sæculo nullum Purgatorium experiantur, ut Catholicam doctrinam admittant, quos non Purgatorium, sed Infernus expectat. Expetunt sibi è Sacris Literis omnia probari. Et nè quidèm ex iis contrarium unum Iota probarent. Irrefragabiliter itaque ex verbis utriusque Testamenti veritatem hanc demonstro.

monſtro. Imprimis 2. Machab. 12. 43. Miſit Judas Machabæus in Jeruſalem *duodecim millia drachmas argenti, offerri pro peccatis mortuorum ſacrificium, benè & religiosè de reſurrectione cogitans, &c.* Et concludit, *Sancta ergò & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Qui locus Scripturæ ità manifeſtus eſt, ut Hæretici non invenientes ſubterfugium, quo hoc jaculum evitent, ſatiùs duxerint negare hunc librum eſſe Canonicum. Et nè ſine fundamento hoc dixiſſe videantur, hanc rationem allegant, quod Author in fine libri veniam petat, ſi quâ in re erraverit. Eccè perfidiam hæreticæ pravitatis: de infallibili veritate ſuſpectum habent, quod humiliter de ſeipſo ſentiat. Revocent à pari in dubium Regii Prophetæ Pſalmos, quos tamèn ut maximè authenticos amplectitur Eccleſia, imò & Synagoga, qui nihilominùs ſimiliter de ſe ſentit & loquitur. Pſ. 68. *Deus tu ſcis inſipientiam meam, & delicta mea à te non ſunt abſcondita.* Et Pſal. 24. *Delicta juventutis meæ & ignorantias meas, ne memineris.* Solet autèm Spiritus Sanctus ità per os Prophetarum ſuorum loqui,

loqui, ut ſtilo & communi ipſius Prophetę loquendi modo ſe accommodet: ut non difficile eſſet pluribus exemplis probare, niſi brevitati conſulerem. Enimverò libri Machabæorum ſemper in Eccleſiâ ut Canonici habiti ſunt, & videre eſt ex diverſis Conciliis, præſertim Carthaginenſi III. can. 47. ex decretis Pontificiis, inter cętera Innocentii I. Epiſt. 3. ad Exuperi. can. 3. & ex Sanctis Patribus, inter quos S. Auguſt. lib. 18. de civit. Dei cap. 36. *In quibus ſunt Machabæorum libri, quos non Iudæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet.* Et Hiero. 2. Prolog. ſuper eoſdem libros ait: *Machabæorum libri, licèt non habeantur in Canone Hebræorum: tamèn ab Eccleſiâ inter divinorum voluminum adnotantur hiſtorias.* Et rursùs Aug. lib. de hæreſibus ad Quod vult Deum c. 53. Arium in numero Hæreticorum collocat, eo quod negaverat licere pro defunctis orare. Et lib. de curâ pro mortuis agendâ: *Defunctis*, inquit, *cum omni diligentiâ miſereri & ſubvenire ſtudeamus, attendentes, & quod Iudas Machabæus fecerit. Dixit enìm quod ſancta eſſet cogitatio, pro defunctis exorare, ut à peccatis ſolvantur.* Tanti fecit

Auguſtinus horum librorum auctoritatem. Eadem veritas Purgatorii ſtabilitur. Tobiæ 4. 18. *Panem tuum, & vinum tuum ſuper ſepulturam juſti conſtitue, & noli ex eo manducare & bibere cum peccatoribus.* Hinc orta eſt conſuetudo illa antiquiſſima & planè laudabilis, quæ adhuc ſervatur, ut conſanguinei defuncti mittant cibum & potum pauperibus & Religioſis, ut deprecentur pro defunctis. Sic Chriſoſt. homil. 32. in Matth. *Cùr pòſt mortem tuorum pauperes convocas? cùr Presbyteros, ut pro eis velint orare, obſecras?* 1. Reg. ult. 12. pro morte Saul habitatores Jabes Galaad ſeptem diebus jejunaverunt. Et 2. Reg. 1. 12. *Flevit David & jejunavit pro Saule & Ionatha, aliiſq; occiſis.* Et Iſa. 4. 4. *Si abluerit Dominus ſordes filiarum Sion, & ſanguinem Ieruſalem laverit de medio ejus, in ſpiritu judicii & ſpiritu ardoris.* Quod intelligit Auguſt. de pœnâ Purgatorii lib. 20. de civit. Dei c. 25. Et Mich. 7. 8. *Ne læteris inimica mea ſuper me, quià cecidi. Conſurgam cùm ſedero in tenebris. Dominus lux mea eſt, iram Domini portabo, quoniàm peccavi ei, donèc cauſam meam judicet, & faciat judicium meum, educet me in lucem,*

videbo justitiam ejus. Vbi gloſſa ordinaria illud, *iram Domini portabo*, exponit, hìc vel in Purgatorio. Et Hiero. lib. 1. adverſ. Pelag. ca. 9. dicit per hunc locum Scripturæ Purgatorium probari. Deindè ex novo Teſtamento id ipſum probatur 1. Cor. 3. 14. *Si cujus opus manſerit, quod ſuperædificavit mercedem accipiet. Si cujus opus arſerit, detrimentum patietur; ipſe autem ſalvus erit, ſic tamèn quaſi per ignem.* Quem locum S. Auguſt. de igne Purgatorio intelligit, ſerm. 4. de Sanct. in commem. anim. *Multi ſunt,* inquit, *qui lectionem iſtam malè intelligentes, falsâ ſecuritate decipiuntur, dùm credunt, quod ſi ſuprà fundamentum Chriſti capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſſint purgari, & ipſi poſteà ad vitam perpetuam pervenire. Intellectus iſte, Fratres charisſimi, corrigendus eſt, quià ipſi ſe ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur. Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus, Ipſe autèm ſalvus erit, ſic tamèn quaſi per ignem; non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.* Qui enim commiſerit opera digna igne, ut ſunt peccata venialia, verba otioſa, de quibus (teſte Domino Matth. 12. 36.) etiàm reddenda

eſt ratio in die judicii, in igne purgandus eſt, aut pœnam aliquam vel in hâc vitâ, vel in futurâ ſubiturus: non æternam, cùm hoc diſſentaneum foret divinæ juſtitiæ; ergò aliquam temporalem. Rursùm Matth. 5.22. *Qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio, Qui autèm dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio. Qui autèm dixerit fatuè, reus erit gehennæ ignis.* Quę tria exponit S. Aug. lib. 1. in ſer. de monte c. 9. de pœnis animarum pòſt hanc vitam, & dicit damnationem æternam ſolùm tribui tertio generi peccatorum recènſitorum: primo verò & ſecundo, utpotè leviorum defectuum, leviores pœnas, ac proindè temporales: & ſic communiter Doctores. Matth. 5.25. dicitur: *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dùm es in viâ cum eo; nè fortè tradat te adverſarius judici, & judex tradat te miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas noviſſimum quadrantem.* Vbi per adverſarium intelligitur ipſa Lex Dei, vel dictamen conſcientiæ, quę legem Dei ſemper objicit peccanti: & dicuntur adverſarii, quod adverſentur carni, & pravis affectionibus. Ità Ambr. Comment. in Luc.

Luc. lib. 7. cap. 12. Auguſt. in cap. 5. Matth. Homil. 1. de verb. Domini. Grego. Homil. 39. in Evangelia. Bern. ſerm. 85. in Cant. In viâ, id eſt, in hâc vitâ, ut expreſſe ſignificatur in Pſal. 118. 1. *Beati immaculati in viâ:* & degentes in hâc vità dicuntur viatores. Per carcerem, juxtà communem SS. PP. ſenſum, intelligitur Infernus: in quo diverſę ſunt manſiones, alię pro damnatis, aliæ pro his qui purgantur. *Non exies indè donèc reddas noviſſimum quadrantem.* Quod indè non ſint dimittendæ animæ donèc plenè ſatisfiat juſtitiæ Divinæ, aut per ſatisfactionem bonorum operum ſeu ſuffragiorum, quæ in Eccleſiâ militante illis applicantur, aut per ipſarum animarũ ſatiſpaſſionem, id eſt, ut pœna tolerata coæquari poſſit cum defectibus remiſſis. Vndè additur *noviſſimum quadrantem.* Communi etiàm Patrum conſenſu plura Oecumenica Concilia Purgatorium aſſeruerunt, Carthaginenſe IIII. cap. 79. In Hiſpaniâ Concil. Bracharenſe I. ca. 34. In Galliâ Conc. I. Cabillonenſe c. 4. & Cabillonenſe II. ſub Leone Papâ III. cap. 39. & Aurelianenſe II. cap. 15. In Germaniâ

Wor-

Wormacienſe cap. 10. In Italiâ Conc. Sextum ſub Symmacho. Idem docetur in variis liturgiis Jacobi, Baſilii, Chriſoſtomi, Ambroſii, &c. in quibus omnibus fit oratio pro defunctis. Accedunt teſtimonia Patrum. Dionyſ. de Eccle. Hierarch. c. 7. *Accedens*, inquit, *divinus antiſtes, ipſi mortuo ſanctè precatur &c. Precibus quidèm à divinâ benignitate contendit, ut & omnia peccata, quæ humanâ fragilitate, imbecillitateq; admiſſa ſunt, ei qui exceſſit è vitâ, remittat, & eum in lucem ac regionem vivorum deducat in locum, à quo fugit dolor, triſtitia & gemitus.* Athanaſius quæſt. 34. Clemens Alexand. li. 6. conſtit. Gregor. Nazianz. oratione 2. Ephrem in ſuo teſtamento. Cyrillus Catecheſi myſtag. 5. & alii. Inter quos Chriſoſt. homil. 41. in 1. Cor. clariſſimè aſſertum noſtrum aſtruit: *Iuvetur quidèm mortuus non lachrymis, ſed precibus, ſupplicationibus, eleemoſinis.* & Homil. 69. ad pop. *Non temerè ab Apoſtolis hæc ſancita fuerunt, ut in tremendis myſteriis defunctorum agatur commemoratio. Sciunt enim indè multum eis contingere lucrum, utilitatem multam.* Similia etiàm habet in morali digreſſione ſerm. 3. ſuper Epiſt. ad Phi-

Philip. E Latinis Tertu.lib.de coron.mili. cap. 53. inter traditiones Apostolicas numerat suffragia pro defunctis. Cyprianus tom. 1.Epist.66. *Episcopi antecessores nostri religiosè considerantes,& salubriter providentes, censuerunt nè quis frater excedens,ad tutelam vel curam clericum nominaret: ac si quis hoc fecisset, non offerretur pro eo, nec sacrificium pro dormitione ejus celebraretur.* Ambros.lib. 2. Epistol. 8. Hieronym. Epistol. ad Pammachium de obitu Paulinæ. Augustinus lib. de curâ pro mortuis cap. 1. *In Machabæorum*, inquit, *libro legimus, oblatum pro mortuis Sacrificium. Sed etsi nusquàm in Scripturis veteribus omninò legeretur, non parva tamèn est universæ Ecclesiæ, quæ in hâc consuetudine claret, auctoritas: ubi in precibus Sacerdotis, quæ Domino Deo ad ejus altare funduntur, locum suum habet etiàm commendatio mortuorum.* Vbi duo potissimùm notanda recurrunt : primò juxtà doctrinam Chrisost. Cypriani, & Augustini ex communi, antiquâ, imò Apostolicâ traditione, usum esse in Ecclesiâ orandi & sacrificia offerendi pro defunctis. Quare certissimum & omninò indubi-

dubitatum esse debet, Purgatorium admittendum esse, cùm in eo tota Ecclesia errare non possit, nisi Christus ipse arguatur infidelitatis & mendacii. Nequè dici potest Chrisost. Cyprian. & August. à veritate in eo deviasse: nàm indubiè, si ità esset, cæteri Patres & Doctores, qui illo sæculo & sequentibus claruerunt, contradixissent, eorumque sententias refutassent. Quamobrèm cùm usus communis & antiquissimus Ecclesiæ sit, ex Apostolicâ traditione proveniens, quales æstimare oportet hosce Novatores Lutherum & Calvinum, eorumque sequaces, qui Purgatorium & suffragia pro mortuis abolere contendunt? Audiant Aug. epist. 118. cap. 5. dicentem & eos redarguentem: *Insolentissimæ insaniæ est disputare contrà id quod tota Ecclesia facit.* Secundò notandum est, commentitium dogma Calvini lib. 3. instit. cap. 5. §. 10. Vbi confessus antiquissimam consuetudinem illam in Ecclesiâ jàm antè mille & trecentos annos fuisse, erroneam tamèn esse asserit. *Antè mille & trecentos annos usu receptum fuit, ut precationes fierent pro defunctis:*

Etis : ſed omnes quidèm fateor in errorem abrepti fuerunt. Hæc Calvinus : itaque hâc Catholicâ veritate manifeſtiſſimè probatâ, teſtimoniis antiqui & novi Teſtamenti, traditionibus, Conciliis, auctoritate SS. Patrum & Doctorum, communi univerſalis Eccleſiæ uſu & conſenſu, qui, ut inquit Auguſt. lib. 4. de Bapt. c. 24. *Non poteſt non eſſe legitimus, tamquàm ab Apoſtolis inchoatus, & à Chriſti poteſtate deſcendens.* Tandèm complures apparitiones & revelationes fide digniſſimas, utpotè multorum SS. Patrum ac teſtium omni exceptione majorum teſtimonio ſtabilitas omittens, ob pervicaciam & duritiam cordis adverſariorum noſtrorum idipſum rationibus oſtendam. Argumentum Hæreticorum, in quo tamquàm in ſuo Achille confidunt, eſt pœnam ſimùl remitti cum culpâ, eo quod ablatâ causâ, teſte Philoſopho, auferatur effectus: atqui remiſſio quoad culpam non fit in futuro ſæculo, ſed in præſenti, ut evidenter conſtat ex Scripturis, & omnes etiàm Catholici admittunt: ergò ſicùt pòſt hanc vitam non manet ampliùs reatus ad culpam,

neque

neque etiàm remanebit reatus ad pœnam; & per consequens fruſtrà & fictitiè ponitur Purgatorium. Reſpondetur & simùl confirmatur Catholica ſententia, negando majorem, remiſsâ videlicèt culpâ tolli etiàm reatum ad pœnam: & evidenter ex Sacris Litteris contrarium probatur, 2. Reg. 12. 13. Cùm David pòſt delicta graviſſima contrà Deum patrata exclamaret coràm Propheta Natan, *Peccavi Domino*: ſtatim replicuit Propheta, *Dominus quoquè tranſtulit peccatum tuum, non morieris.* Eccè peccatum juxtà vocem Prophetę deletum. Subjunxit nihilominùs Nathan. *Verumtamèn quoniàm blaſphemare feciſti inimicos Domini, propter verbum hoc, filius qui natus eſt tibi, morte morietur.* Eccè graviſſima pœna, quam pòſt remiſſionem peccati ſuſtinere cogebatur: non utcumquè, ſed in vindictam commiſſi, *quoniàm blaſphemare feciſti nomen Domini*, atquè adeò falſitatis ſpeciem habet & infidelitatis, aſſerere pòſt remiſſam culpam non remanere ordinariè reatum pœnæ. Item Sap. 10. 1. dicitur *illum qui primus formatus eſt à Deo, Pater orbis terrarum, cùm*

primus

primus esset creatus custodivit & eduxit illum à delicto suo. Habemus culpam remissam. Nihilominùs in vindictam peccati gravissima mala perpessus est toto tempore vitę, orbatus deliciis paradisi, & cunctis bonis, quibus fruitus fuisset, si in innocentiâ perseveràsset. Vndè Genes. 3. 17. *Quià audîsti vocem uxoris tuæ, & comedisti de ligno, ex quo præceperam tibi nè comederes: maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex eâ cunctis diebus vitæ tuæ. Spinas & tribulos germinabit tibi, & comedes herbam terræ. In sudore vultus tui vescêris pane, donèc revertaris in terram, de quâ sumptus es: quià pulvis es & in pulverem reverteris.* Quę mala tulit Adam, ut constat ex sacro textu; in pœnam justam culpę, non tamquàm paternam correctionem, ut à malis futuris abstineret, sed in punitionem delicti, *quià audisti vocem &c.* Plura similia exempla facilè est è Sacris paginis adducere: verùm duo hæc sufficient, quibus constet evidenter, non semper cum culpâ condonari omnem pœnam. Nequè in eo injurii sumus redemptioni humani generis factę per merita & passionem Chri-

sti, ut plerumquè fingunt Hæretici: alioquin etiàm pòst susceptum baptismum, quo peccatum originale deletur, non ampliùs pateremur pœnas ipsum peccatum originale subsecutas, qualis est mors cum cæteris miseriis, quas in eo contraximus. Tantùm verò abest, ut vel misericordiæ, vel justitiæ Divinæ posito igne purgatorio aliquid detrahatur: quin potiùs eâ ratione utraquè virtus in Deo mirabiliter conjungitur & maritatur: ut & ex errore Novatorum nostrorum utraquè destruitur. Certum est enim quod sicùt justitia sine misericordiâ crudelitas est; ità misericordia sine justitiâ saltèm aliquali injustitia est, & alteram sine alterâ in Deo reperire est impossibile. Atqui Sectarii Deum faciunt sine justitiâ misericordem, cùm culpâ remissâ nullam pœnam à delinquente subeundam restare asserunt. Nos verò in remissione culpæ misericordiam Dei admiramur; & in pœnâ temporali restante, ejus justitiam veneramur, & misericordiæ conjungimus.

MO-

MOTIVUM XLIV.

QUod Romana Ecclesia, ut exfabuloso Purgatorio eripiat animas, in usu habeat concedere indulgentias iis, qui eas promerebuntur, elargiendo eleemosinas pecuniarias Ecclesiis, aut instituendo aliquam peregrinationem & similia. Irridet liberalitatem Pontificiam in distributione illius thesauri, & laudat eos qui contrarium sentiunt: scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis de vanâ vestrâ conversatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine agni immaculati Christi 1. *Pet.* 1. 18. *Quod illis, qui putant sibi Regnum Cælorum acquirere pecuniis, dici possit illud Petri ad Simonem Magum Act.* 8. 20. Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniàm donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Non est tibi pars, neque sors in sermone isto: cor enim tuum non est rectum coràm Deo.

RESPONDETVR.

Suffragia pro defunctis & indulgentiæ confirmantur.

PVrgatorium omni rectè sentienti admittendum esse abundè demonstravimus, & à fabulositate vindicatam veritatem à quolibèt Orthodoxo credendam sustinuimus. Indulgentiarum usum in Ecclesiâ esse non novum verissimum est. Antè annos octingentos à Pontificibus Indulgentias concessas, testis est S. Thom. in 4. sentent. d. 20. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. ubi S. Gregorium Magnum eas in diebus Stationum populo impertivisse docet. Sergius, qui sedit in Pontificatu anno 844. trium annorum & trium quadragenarum Ecclesiam S. Martini in Montibus, festo titulari ejusdem visitantibus distribuit, ut legere est in tabulâ marmoreâ, incisâ literis antiquissimis. Similiter Leo III. ut refertur à S. Lutgero suę Epist. cap. 9. *Idem S. Leo Papa*, inquit, *anno Dominicæ Incarnationis octingentesimo tertio, cum magnâ solemnitate*

nitate ſuorum Cardinalium, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum & Prælatorum ad Imperatorem Carolum in Germaniam veniens, & ab eodem Imperatore, imperialiter cum ſuis receptus, inter multa pietatis ſuæ opera, inſtantiâ ejusdem Sereniſſimi Imperatoris & Regis, Aquiſgrani in Palatio dedicavit Eccleſiam perpetuæ Virginis Mariæ, donans eamdèm Eccleſiam multis Indulgẽtiis. Et bis infrà idipſum confirmat aliis exemplis, quæ Coloniæ Agrippinæ & in Galliâ contigerant. Doceri etiàm poteſt ex diverſis Conciliis Generalibus, quorum aliqua nuper pag. 161. citavimus. Quibus addi poſſunt Claromontanum, teſte S. Antonino, Lateranenſe IV. Lugdunenſe, Viennenſe, Conſtantienſe, & tandèm Tridentinum. Quę licèt à Sectariis non admittantur, non tamèn ideò ipſorum auctoritas extenuatur: cùm proprium ſit hęreticorum, ea contemnere & reprobare, in quibus ipſorum errores damnantur. Sic Ariani olim reſpuerunt Conc. Nicenum, Neſtoriani Epheſinum, Pelagiani Arauxicanum, Eutichiani Calcedonenſe, Lutherani & Calviniſtæ Tridentinum. Etiàmſi ſecundùm Auguſtin.

Epist. 118. semper fuerit in Ecclesiâ plenariorum Conciliorum saluberrima auctoritas. Vndè cùm communis sit consensus Ecclesiæ, tàm quoad doctrinam, quàm quoad praxim, nequè ostendi possit initium, juxta communem Sanctorum regulam, à Christo & ab Apostolis emanasse certissimè credendum est. Quamvis antè annos recensitos, non ità frequens fuerit in Ecclesiâ earum usus, quod fervor primorum Patrum necdùm ità in posteris concidisset; sicùt jàm declinante magis sęculo in malitiæ senium. Doctrina contraria fugienda est, velùt blasphema in Christum & Sponsam ejus Ecclesiam: In Christum, quod eum fallaciæ insimulet, velùt non stantem promissis, quibus spopondit portas Inferi adversùs Ecclesiam non prævalituras: hoc verò posito prævaluissent; nequè in amore ęterno, & sponsalitio perseveraſſet sancta & immaculata; sed fornicata fuisset cum erroribus multis, quod blasphemum est in eam. S. Bernardus his qui ad bellum Hierosolymitanum erant ituri, prædicavit Indulgentias concessas ab Eugenio Papâ III. & prędicationem suam pluribus

pluribus & evidentibus miraculis confirmavit, ut patet ex initio lib. 2. de consideratione. S. Franciscus divinâ revelatione accepit Jubilæum pro Ecclesiâ S. Mariæ de Angelis, quod postea à Summus Pontifex approbavit. Itèm S. Birgitta, cujus Revelationes apud graviſſimos Theologos in æstimatione sunt, edocta fuit â Christo Domino de abundantibus Indulgentiis, quæ sunt in Vrbe. Et quamvis hæc ab hereticis floccipendantur, suàm tamèn fidẽ merentur. Et quemadmodum in unaquaquè Republicâ, si recto regimine potiatur, constitui solet thesaurus publicus ad subveniendum egenorum necessitatibus, ut ex affluentiâ divitum sustententur: sic ex thesauro illo, & superabundantiâ meritorum Christi & Sanctorum, quâ satisfactoria sunt, in Ecclesiâ (quæ Respublica à Christo Domino instituta, rectissimè ordinata est) laborantibus penuriâ satisfactionũ, sive in hâc vitâ etiamnùm degant, sive in aliâ detineantur, ut faciant satis divinæ justitiæ, pro reatu pœnæ succurritur, applicando merita Christi & satisfactiones ejus ac Sanctorum. Hujus autèm

infiniti thesauri dispensationem & applicationem penes Pontificem esse, & legitimos Christi Vicarios, satis colligitur ex illâ ampliſſimâ ligandi & solvendi potestate à Deo ipsis concessâ. Vndè Paulus 1.Cor.4. 1. *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Et de Indulgentiis satis clarè, ut ex toto contextu patet, 2.Cor.2. 10. *Nàm & ego quod donavi, si quid donavi propter vos in personâ Christi:* Vbi non culpam, sed pœnam donavisse intelligendus est Apostolus. Merita enim passionis Christi Domini, quamvis infinitæ virtutis sint, & infiniti valoris ad satisfaciendum æterno Patri pro omni debito nostro, nisi applicentur per nostram cooperationem, aut virtutem sacramẽtorum, aut per alia media quæ in Ecclesiâ statuta sunt, non sortiuntur efficaciter effectum: aliàs fatendum esset omnes indiscriminatim salvari, & nullum perire: quod plusquã temerarium est, & falsissimum, & contra ipsum sacrum textum multis in locis, *Multi enim* Matth.20. 16. *sunt vocati, pauci verò electi.* Et 7.v. 14. *Arcta via èst quæ ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Et v. 13. *Spa-*

13. *Spatiosa via est quæ ducit ad perditionem, & multi sunt qui intrant per eam.* Atquè adeò cõformiter explicanda sunt illa loca Scripturæ. 1. Joa. 2. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autèm tantùm, sed & totius mundi.* Et Isaiæ 53. 5. *Ipse autèm vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra*, & similia. Cùm ergò sæpissimè contingat multos ex hâc vitâ decedere condonatâ offensâ, non tamèn ablato plenè reatu pœnæ; necessum est ut in Purgatorio per satisspassionẽ, aut per divitias Ecclesiæ à supremo ejus Oeconomo erogatas, justitiæ divinæ satisfaciant. Adjunguntur etiàm satisfactiones superabundantes B. Virginis & Sanctorum; nàm sicùt in effectibus naturalibus, eo quod causæ secundę concurrant cum causâ primâ ad suos effectus producendos, nullatenùs minuitur virtus infinita Dei operantis: quin potiùs magis in eo resplendet divinæ sapientiæ & providentiæ dispositio, cùm causalitas ipsa causæ secundæ in primam causam, nempè Deum refundatur: Ità pariter merita satisfactoria Sanctorum, etsi cooperantur

cum infinito valore & virtute Dominicæ Passionis, non propterea extenuatur & vilescit, cùm indè omnem suam vim trahãt, tamquàm à fonte, & in Christum & ejus Passionem totum redundet. Vndè ineptissimè objicitur illud 1.Pet.1.18. *Scientes quod non corruptibilibus auro vel argento redempti estis: sed pretioso sanguine agni immaculati.* Et illud Act.8.20. *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniàm donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* Nequè enim ullus umquàm Catholicus existimavit, nos esse redemptos auri, argenti, aut alicujus puræ creaturę pretio: sed tantùm solius Christi sanguine primariò; & meritis Sanctorum, quę totum suum valorem à Christo trahunt, quasi secundariò. Profectò manifestissima calumnia est, hoc ipsum Ecclesiæ impingere, quod simoniam admittat: quã tamèn ipsa vehementer semper detestata gravissimè punit. Quasi verò propter pecunias, Indulgentias impertiatur, dùm elargitionem alicujus eleemosynę pecuniariæ eas lucraturis Fidelibus præscribit, aut simile aliquod opus pium, ut sunt peregrinationes ad Divam Lauretanam, Jacobum

bum Compoſtellanum & limina Apoſtolorum: quibus, ſi cùm debitis circumſtantiis fiant, mens humana ad majorem devotionis & reverentię ergà Deum incitatur affectum, & ad imitationis Sanctorum ſtudium impenſiùs inflammatur.

MOTIVVM XLV.

RVrsùm occaſione Indulgentiarum debacchatur in Sanctos. Quod Papiſtæ eorum meritis prætendant magnam partem Regni cœleſtis, eoſdemq; venerentur ob miracula: quæ ſi perpendantur, longè diſtant à miraculis Prophetarum & Apoſtolorum. Quod exigentes miracula ſint infideles, cùm Fideles illis non indigeant. Et ſicùt non eſt credendum omni ſpiritui, ſicùt dicitur 1. *Ioa.* 4. 1. Probate ſpiritus ſi ex Deo ſunt: *ſic nec omnibus miraculis. Quod dignoſcendorum miraculorum ſignum exprimatur Iſraelitis Deut.* 13. 1. Si ſurrexerit in medio tui Prophetes, aut qui ſomniũ vidiſſe ſe dicat, & prædixerit ſignum atquè portentum, & evenerit quod locutus eſt, & dixerit tibi: Eamus & ſequamur Deos alienos quos ignoras, & ſerviamus eis: non audies verba Prophetæ illius aut ſom-

somniatoris : quià tentat vos Dominus Deus vester , ut palàm fiat utrùm diligatis eum, an non , in toto corde,& in totâ animâ vestrâ. Propheta autèm ille aut fictor somniorum interficietur: quià locutus est, ut vos averteret à Domino Deo vestro &c.

RESPONDETUR.

Et Sanctorum in meritis communio , & miraculorum veritas asseritur.

QUod Sanctorum merita nobis profutura confidamus , verissimum est. Quod per illa suo modo partem regni cœlestis prętendamus , orthodoxum est. Et quidni? Amici Dei facti sunt, nimis confortatus est principatus eorum. Sedebunt super sedes duodecim , judicantes duodecim tribus Israël. Satisfactiones eorum superabundantes sunt , quæ mutuatâ à Christi Passione virtute nobis prodesse possunt. Quidni confidamus? Gavisi sunt Sancti, gavisus est Apostolus in passionibus suis pro nobis. Adimpleverunt Sancti , adimplevit Apostolus ea quæ desunt Passio-

Passionum Christi in carne suâ pro nobis: quidni prosint, si applicentur per eos, qui constituti sunt dispensatores mysteriorum Dei, qui quod donant, in personâ Christi donant? *Nunc gaudeo*, inquit, Apostolus Colos. 1. 24. *in passionibus pro vobis, & adimpleo ea quæ desunt Passionum Christi in carne meâ pro corpore ejus, quod est Ecclesia.* Sanctos etiàm colimus & veneramur propter miracula: & hoc ipsum ratio suadet. Illis movemur, & ad sanctitatem mentis & corporis excitamur: cùr non colamus? Ægrè tulit ipsa veritas Judæorum duritiàm & pervicaciam, quod signis ejus non moverentur, & fulminavit in caput eorum Væ Vę. Reformidet illud ipsum Consistorium Delphicum, & quotquot Sanctorum miracula pro nugis æstimant, & virtute diabolicâ facta cavillantur, quandò nimis evidentia sunt, ut negari non possint. *Væ tibi*, inquit Math. 11. 21. *Corozaim, Væ tibi Bethsaida, quià si in Tyro & Sydone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Cavete Calvinistæ, *Tyro & Sydoni remissiùs erit in die judicii, quàm vobis,*

vobis, nisi convertamini. Omnia poterat Paulus in Christo JESV, *Omnia*, inquit, *possum in eo qui me confortat*. Philip.4. 13. Omnia possunt Sancti in fide & virtute ejus qui omnipotens est. Joa. 14. 12. *Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio & ipse faciet, & majora horum faciet.* Quantùm ergò mirabilia Sanctorum distent à signis, quæ Christus & Apostoli patrarunt, si Christus confortet? Asseverat, *qui credit in me majora horum faciet.* Et esto majora non sint, de quo non ambigitur: distent: sufficiat miracula esse, ad nostram confirmationem, & hæreticorum confusionem. Mirantibus Apostolis Math. 21. 21. quod continuò ad verbum Domini aruisset ficulnea, replicuit JESVS: *Amen dico vobis, si habueritis fidem & non hæsitaveritis, non solùm de ficulneâ facietis, sed & si monti huic dixeritis: Tolle, & jacta te in mare, fiet.* Nequè solet Ecclesia miracula ulla Sanctorum admittere, nisi præmisso gravissimo, & maturissimo examine, interveniente jurejurando testium omni exceptione majorum. Experimẽtum itaquè sumit & indagat qualia sint, & quo spiritu fa-

tu facta sint. Nequè ignoramus non ità necessaria credentibus esse miracula : scimus tamèn interdùm necessum esse ea fieri, ut convertantur increduli, & debiliores in fide stabiliantur, aut merè ut Sanctorum gloria toti mundo ampliùs innotescat. Admittimus etiàm notam evidentem esse, quâ dignoscantur, illam quæ recensetur Deuter. loc. cit. Si enim quis admiranda faciat, & aliam fidem prædicet, ut Deos alienos sequamur, eum ut anathemate percussum fugimus & detestamur : opera ejus velut opera mortis rejicimus & execramur. Sancti verò, quos ut tales universalis Ecclesia Catholica & Apostolica agnoscit, nequè somniatores sunt aut Pseudoprophetæ, qui prædicent Deos alienos, nequè operâ eorum fideles àDei veri cultu in idololatriam divertunt; etiàmsi colamus Dei & Sanctorum imagines, quas absquè ullâ infidelitatis aut idololatriæ notâ colendas alibi satis superque demonstravimus : cùm in illis non veneremur Jovem aliquem, aut Jovis vatem : sed Deum verum Vnum & Trinum, & Sanctos, quatenùs amici veri

Dei

Dei sunt, sic ut totus honor non aliò, quàm in Deum redundet.

MOTIVVM XLVI.

QVod Religio Romana, ut idololatriam multiplicet, Reliquias Sanctorum Fidelibus colendas sacrilegè proponat: cujus tamèn nulla mentio fiat in Sacris Litteris. Irridet miraculum aliquod factum in quâdam infirmâ per applicationem Reliquiarum S. Ignatii de Loyolâ: quasi ratione illius præcisè relatus fuisset in numerum Sanctorum. Quod Dominus Deus satis ostenderit non esse venerandas Reliquias, ex eo quod corpus Moysis ità occultatum remanserit, ut in hunc usquè diem sepulchrum ejus incognitum sit. Quod Ezechias serpentem æneum destruxerit. Quod utrumquè factum sit ad tollendam occasionem idololatriæ. Vndè concludit, quod quandoquidèm Scriptura non commendet cultum præputii Christi Domini, aut vestium ejus, lactis B. V. crinium, &c. (quæ apud Catholicos, ut putat, non magis invenire est, quàm umbram S. Petri) verè coli non debeant.

RES-

RESPONDETVR.

Quod Reliquiarum veneratio Scripturæ congruit.

CIrcà miraculum S. Ignatii in diœceſi Audomarenſi factum, non eſt quod tàm ſcurriliter nugetur Dominus Miniſter. Approbatum fuit ab Epiſcopo Audomarenſi, teſtimonio Medicorum, & aliorum fide dignorum interveniente non temerè, ſed re ſatis maturè penſatâ. Nec tali facto indigebat S. Ignatius, ut à Summo Pontifice in album Sanctorum referretur, cùm ſatis manifeſtum ſit, quod rigidiſſimo cum examine, & exactiſſimâ oculatiſſimâque circumſpectione ad hujuſmodi Canonizationes in Romanâ Curiâ procedatur. Quapropter nullus ſanæ ac piæ mentis in dubium revocare poteſt, quin præter illud miraculum, cætera omnia quę ad graviſſimum tanti momenti negotium deſiderantur, ſufficientiſſimè intervenerint. Quod magno in honore habeamus Sanctorum Reliquias convenientiſſimum ſemper fuit, &

hoc ipsum satis manifestè declaravit Deus 4. Reg. 2. 14. quandò percussione pallii Eliç aquas divisit Eliseus. Et quandò eod. lib. cap. 13. v. 21. per contactum ossium Elisei mortuus resuscitatus est. Et Act. 19. 12. per sudaria & semicinctia Pauli Spiritus nequam ex hominum corporibus ejiciebantur, & languidi sanabantur. Et Math. 9. 20. mulier, quæ sanguinis fluxum patiebatur, per contactum fimbriç vestium Christi sanata est. Et Math. 14. 36. rogaverunt Christum plures, *ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent* (Eccè venerantur Reliquias ejus, & ipso permittente) *& quicumquè tetigerunt salvi facti sunt.* Satis, inquam, manifestè declaravit Reliquias colendas, cùm per tot miracula eorum cultum approbarît, & etiamnùm in dies approbet. Extant etiàm gravissima Sanctorum Patrum testimonia, tàm Ecclesiæ Græcæ, quàm Latinæ, quos brevitatis gratiâ prætermitto. Citantur à Bellarm. lib. 2. Contr. tomo. 2. c. 3. Instar omnium sit nobis unus August. epist. ad Quintianum: *Portant*, ait, *sanè Reliquias Beatissimi & gloriossimi Martyris Stephani,*

Stephani, quas non ignorat Sanctitas vestra, sicùt & nos fecimus, quàm convenienter honorare debeatis. Et lib. 22. de civit Dei. cap. 8. maximum numerum miraculorum, ad Reliquias S. Stephani Protomartyris patratorum adfert. Certum etiàm est, plurimorum Sanctorum corpora integra & incorrupta divinitùs servata: ut in Burgundiâ S. Claudii ab annis hinc mille: in Vmbriâ apud Montem Falcum corpus B. Claræ ab hinc trecentis annis incorruptum: Albæ in Hispaniâ S. Matris nostræ Theresiæ, ubi non solùm extitit hucusquè incorruptum, verùm emanat ex ipsâ carne oleum, quod ad stuporem & miraculum, plurimis sanitatem restituit. Nec mirum: *Custodit Dominus omnia ossa eorum, unum ex his non conteretur.* Ps. 33. 21. Custodit inquam, imò ipse veneratùr: *Vnum ex his non conteretur.* Quantò magis nos ad eorum venerationem obligamur? Quod verò Deus occultaverit corpus Moysi, & per Ezechiam confregerit serpentem æneum, nihil contrà nos facit: cùm hoc fecerit ob mores populi planè rudis, & ad idololatriam admodùm proclivis: cujus

modò in Ecclesiâ Catholicâ, pòst idola, & simulacra gentium penitùs destructa & subversa, nullum est periculum. Vndè potiori ratione concludo, quod quandoquidèm Deus in Sacris Litteris per tot miracula Reliquiarum cultum comprobarît, eas esse colendas, & verè apud Catholicos reperiri.

MOTIVVM XLVII.

Postremò, ut nihil incontaminatum relinquat, contemnit rosaria, grana benedicta, agnos Dei, missas pro defunctis, &c. *Admiratur illa verba, quæ dicuntur in canone missæ pro defunctis*, qui dormiunt in somno pacis: *quod incompossibila videantur, dormire in somno pacis, & pati graves Purgatorii pœnas. Irridet benedictionem campanarum, preces quæ suprà eas funduntur, cum omnibus cæremoniis. Item quod Sacerdotes sacrilegia, ut vult, committant, celebrando pro equis, porcis, & aliis bestiis. Quæ omnia, præter multa alia, maturè consideranti & ruminanti P. F. Emanueli (ut nobis obtrudit hic Minister) ansam præbuerunt, ut relictâ superstitiosâ Religione Romanâ, traderet se Religioni Reformatæ & Calvinisticæ.*

RES-

RESPONDETVR.

Quod animæ juſtæ etiàm in mediis tormentis pacem interiorem ſervant. Benedictiones creaturarum licitæ: ut & preces atquè ſacrificia pro bonorum temporalium conſervatione.

ANtiquus Hæreticorum genius ſemper conatus eſt, omnia inſtrumenta pietatis, & devotionis, quibus animæ Chriſtianæ excitari ſolent ad cultum, honorem & amorem Dei, & propriã ſalutem è medio tollere. Capere nequeunt Confiſtoriales Delphici, quomodò animæ defunctorum in pœnis Purgatorii degentes, dormire poſſent in ſomno pacis, dùm tormentis Purgatorii ſubjiciuntur. Quaſi verò internâ pace frui non poſſint, quæ naturaliter reſultat ex gratiâ habituali, in quâ deceſſerunt, ſive in Purgatorio patiantur, ſive alibi ſint. Benedictiones campanarum irrident, quaſi nugaces ſint.

Quid novum creaturas benedicere. Math. 14. 19. panes multiplicaturus Christus in Cœlum aspexit, & benedixit. Et Paulus creaturas benedicendas asserit 1. ad Tim. 4. 4. *omnis creatura Dei bona est, &c. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Et Cyrillus Catheceſi 3. docet quod *ut illa, quæ in aris offeruntur, cùm naturâ sint pura, invocatione dæmonum impura efficiuntur: sic cõtrà, aqua simplex, per Spiritus Sancti, Christi, & Patris invocationem acceptâ virtute, sanctitatẽ consequitur.* Et Cyprian. epist. 70. ad Janua: *Oportet*, inquit, *priùs mundari & sanctificari aquas à Sacerdote.* Benedicuntur itaque campanæ meritò, cùm inserviant ad convocandum & congregandum populum ad solemnitates Ecclesiæ, ad exercitia spiritualia, ad perceptionem Sacramentorum: & aliquandò admirabiles effectus sortiuntur, si non ex opere operato, uti faciunt Sacramenta; benè tamèn ex opere operantis & benedicentis. Atquè adeò piè credimus per tales benedictiones, juxtà doctrinam SS. Patrum fugari spiritus nequam, & bonos advocari, ut nos adjuvent, augeant pietatem & devo-

devotionem. Quod verò Missę privatę recitentur pro equis & aliis brutis animalibus, & super ea Sancti quidam determinati invocentur, quid ibi mali & peccati? quid sacrilegii? profectò nihil. Implorant fideles divinam clementiam per sacrificia & intercessionem Sanctorum pro bonis temporalibus conservandis, & malis avertendis. Quarè sicùt licitè nobis desideramus & petimus à Deo bona temporalia, sanitatem, sustentationem, cœteraśque commoditates: ità etiàm licitè ad illas impetrandas seu conservandas offeruntur sacrificia, & petuntur Sanctorum patrocinia: Numquid quintus ille Angelus Apocalypseos commendabat quatuor Angelis, quibus datum erat nocere terræ, & mari, &c. *Nolite nocere terræ, & mari, neque arboribus, quoadusque signemus servos Dei nostri in frontibus eorum?* Cur non licebit petere ab iisdem Angelis, & Sanctis in Cœlo cum ipsis regnantibus, nè noceatur equis & aliis animantibus, quæ humano deserviunt obsequio?

Exhortatio ad P. Fr. Fœlicem Emanuelem, & concluſio operis.

TAndèm ad te venio, *Emanuel* amantiſſime, fili prodige, qui projeciſti ſuave Chriſti jugum, & dixiſti, non ſerviam; per viſcera illa amoris, quibus jàm te Religio noſtra Deo genuiſſe putaverat. Venio, inquam, obteſtaturus, nunc aliquandò ad ſtateram revoces, argumentorum illorum pondera, quibus veſtro illo libello permotus diceris, ut Religioni nedùm Carmeli, ſed & Romano-Catholicæ nuntium remitteres ac valediceres. Videbis illa ſuâ ipsâ levitate concidiſſe, efficaciter ſoluta, & penitùs enervata. Videbis artificium malefici illius ac venefici Delphici incantantis ſapienter, inſipienter dicam, qui te miſerè faſcinavit, dirutum & confractum. Proindè à peſtiferâ illius ſuggeſtione, ſi ſapis, quaſi à morſu tortuoſi colubri fuge, & ad Fidelium diſcipulorum cœtum, quos Deus per Cathedram Petri erudit, ſicùt olim in columnâ nubis loquebatur ad eos [illegible] advola. Vanâ ſpe

ſpe robuſtum Sectariorum Herculem ad pedes tuos, veritatis gladio proſtratum habes; arma, inquam, contrà Eccleſiæ Dei phalanges vibrata, adeò ut velùt ſagittæ parvulorum factæ ſint plagæ eorũ, in ſuorum authorum caput retorta. Exurge itaquè, qui lethali ſopore correptus obdormiſcis, ut te Chriſtus illuminet, & pedes tuos dirigat in viam pacis æternæ. Et ſi verè ſalutem quæris, ingredere januam veræ Fidei: accedentem enim ad Deum oportet credere, ait Apoſtolus Hebr. 11. cùm nullus ſpirituali vitâ, quà rectâ aſpiret ad perennem illam vereque vitalem, vivere poſſit ſine Fide: dicente Prophetâ Abac. 2. *Iuſtus ex Fide vivit*. Et quo pacto vitâ vivet, quæ in Dei gratiâ ſita eſt, ſi juxtà doctrinam Doctoris Gentium ubi ſuprà, *Sine Fide impoſsibile ſit placere Deo?* Rectè quidèm impoſſibile, quod graviſſimum & maximè execrabile & injurium Divinæ Majeſtati facinus admittat, quaſi Deum ipſum mendacii, & falſitatis arguens, qui ea non credit, quæ Deo revelante per Eccleſiam credenda proponuntur. Vndè ipſemet Dei Filius, illius extre-

mæ maliciæ gravitatem indicans Joan. 3. *Qui non credit*, inquit, *jam judicatus est*. Neque enim talis impius resurget in judicio discussionis: veniet tamèn in sempiternę damnationis. Hæc sedulò perpende & noli esse incredulus, sed fidelis. Serva fidem, eamquè virgineam, id est, integram & inviolatam. Quippè qui peccaverit in uno factus est omnium reus Jacobo teste. Et si apostatę Angeli unico superbię actu principatum suum deferentes, in judicium magni diei vinculis ęternis sub caligine sunt reservati: nec non Protoparentes nostri simul ac prævaricati sunt, etiàm unico inobedientię peccato, utpotè Paradisi deliciis indigni, turpi longoque exilio damnati sunt: quantò majorem sibi damnationem accersit Hęreticus, qui cum illis impiis relatis à Prophetâ Job 21, Deo refractariè dicit, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*. Fidem nempè quę est sperandarum substantia rerum, & omnium virtutum radix. Sic purissimam Fidei nostrę virginitatem, quâ, de sponsi sui cœlestis providentiâ & benignitate, suprà modum fulget S. Mater nostra Ecclesia Catholica,

tholica, etiàm in ipſo ſuę nativitatis limine
deflorare & planè demoliri contenderunt
Sectarii. Illi imprimis, quos fugiendos
Pſeudoprophetas, aut Propheticæ, Apo-
ſtolicæque doctrinæ pſeudo-interpretes
ipſa veritas juſſit & docuit. Hos ſcilicèt
antè omnes, qui erraverunt ab utero, à do-
ctrinâ nempè revelatâ, & locuti ſunt falſa
impudenter contrà ipſum authorem Gra-
tię, velùt Arius, Neſtorius, & his plures:
& deindè qui erraverunt circà media ſa-
lutis ęternę conſequendę, uti Pelagius, &
Fauſtus *&c.* qui auxiliorum divinę Gratię
efficaciam, & cętera ad ſalutem neceſſaria
penitùs ſuſtulerunt. Ac demùm, ut ad no-
ſtri ſęculi Hęreſiarchas tranſeam, qui non
minùs crudeliter quàm enormiter, non ſe-
cùs ac lupi rapaces in veſtimentis ovium,
id eſt, Paſtorum & Doctorum ſeminâ-
runt zizania: quos nec miſit Chriſtus, nec
ulla electio canonica pro animarum Pa-
ſtoribus comprobavit. Qui etiàmſi ex no-
bis aliquandò prodierint, non erant ex
nobis: nam ſi ex nobis fuiſſent, manſiſſent
nobiſcum. Qui nec per portam intrave-
runt, ſed ſeipſos intruſere, & proindè ha-

bend

bendi tamquàm fures, ac latrones: quales ſunt Calvinus & Lutherus, & qui Fidei Orthodoxæ veſtem inconſutilem his noviſſimis temporibus lacerare ac diſcerpere moliti ſunt. Maximè etiàm circà media ad æternam vitam conſequendam omninò neceſſaria, prorsùs ſunt ſacrilegi; ut & circà Eccleſiæ Sacramenta & potiſſimùm circà Venerabilem Euchariſtiam, quæ eſt cor & anima viventium Chriſto in unione ſpiritus & Fidei; circà opera meritoria, cultum ſacrarum Imaginum, & his plura, de quibus ſuprà. Hos ubi, mi Emanuel, fili doloris mei, æternæ Sapientiæ monitu è fructibus eorum dignoveris, devita, fuge, deſere: cæci enim ſunt, & cæcorum duces, & *ſi cæcus cæco ducatum præſtet*, dicente Domino, *ambo in foveam cadent*. Replicueris forſitan, ut alibi vidêris indicare, horum doctrinam te ſimùl cum lacte è maternis uberibus jugiter ſuxiſſe; adeoquè eo radicatam eſſe fortaſſe ſimulas, quò vixdùm proſcindi queat. Inſto. Repete tantiſper & defœcatâ mente, ſedatoque animo, quà longiùs potes', Avorum tuorum ſeriem inſpice; ſi Paternos Avos ſigillatim

tim revoces, advertes dubio procùl non minùs auguſtam, quàm omni ſoliditate Catholicam Sereniſſimorum Luſitaniæ Regum progeniem, in quâ nullum umquàm à Fide deſciviſſe comperies. Quinimò qui regna, numeroſiſſimoſque populos Chriſto & Eccleſiæ (ut & alibi inſinuavimus) ſubjugârunt. Attamèn ſi gloriaris in deliciis genitricis tuæ, ediſſere quid divinitatis aut ſplendoris gratiæ cœleſtis ab ejus uberibus perſenſeris, ut ejus fidem ſectari proponas? Recenſe maternum genus, & numerabis majores ejus ex parte Matris Saxonię Duces, ex parte Patris Naſſauviæ Comites, omnes & verę Fidei Catholicę profeſſores, & propugnatores. Solos Avos excipiam, quos à Fide pręvaricatos invenies, non quidèm amore veritatis & ſalutis: ſed propter temporales quoſdam reſpectus, quibus mente eorum obnubilatâ errores in materiâ Fidei & morum admiſerunt, ut faciliùs populum à naturalibus ſuis Principibus averterent, licentioſiori illo vivendi modo inducto. Nec judicabant ſe id effecturos, niſi hiſce indebitis mediis uterentur. Et hinc totius

pro-

propemodùm Belgii deplorabilis à ſexaginta circiter annis caſus. Hos primos inter hęreſum, bellorum, ſeditionumq́; turbines, nata ac educata eſt Excellentiſſima Domina Mater tua: nec poterat tantâ peſte graſſante non infici mulier imbecillis, expulſis, fugatiſque veris Eccleſię Paſtoribus, lupis introductis. Vndè profectò quicumquè ſanę mentis fuerit, ità aſſeveret neceſſum eſt, ſatiùs tibi & tutiùs fore tot tantorumque Virorum ac Majorum utriuſquè ſtirpis exemplo, quò veſtigiis eorum perenniter inſiſtas, quàm unico tuę Matris moveri. Redi itaq́; ad petram, vnde exciſus es. Et ſi qui novi turbatores, cujuſvis illi ſexus ſint, animum tuum perturbare conentur ſtimulo alicujus inordinatę paſſionis, aut averſionis à Principibus, aut Superioribus tùm Eccleſiaſticis, tum temporalibus, fabricando tibi vanos timores, quaſi ſi ad priſtinum ſtatum revertaris, varia eaque graviſſima pericula immineant: non eſt quod hos audias, *Semper enim*, teſte Sapiente, Sap. 17.10. *præſumit ſæva, perturbata conſcientia.* Expanſis te ulnis expectamus, atquè oſculo charitatis exce-

excepturi, omnimodam tibi ſecuritatem utrimquè pollicemur: cùm non aliud prętendamus, quàm animam tuam ſaluam facere. Redi itaque, & iterùm dico, redi: & progeniei tuæ, & Religioni Catholicæ, quod non tàm ex maliciâ, quàm humanæ conditionis fragilitate derogatum arbitror reſtitue. Prima opera quę feciſti, cùm inter nos converſareris, intrepidè rursùm fac in verâ & inconcuſsâ Fide, ſequutus conſilium Angeli datum Epiſcopo Smirnenſi Apoc. 2. 5. Sicque experieris indubiè, Spiritus Sancti fructus: inter quos eſt Gaudium & Pax illa incomparabilis, quæ exuperat omnem ſenſum. Dignetur omnipotens & clementiſſimus Deus voci meæ dare vocem virtutis, & tibi aures audiendi, ut tandèm aliquandò optatiſſimo intento fruamur. Vale.

Omnia Sanctæ Matris noſtræ Eccleſiæ judicio ſubmitto.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Hilarius

Vox tubae angeli lucis ad revocandum e calvinianis tenebris ... Emanuelem . .. de Portugal

Bruxella 1635

Polem. 1290
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10774213-9